

Sum Jo. Georg. Molitoris,



Joannis Cajetani de Bonninis

L. n. p.

VIVVM SPECVLVM, IN QVO VERA, ET APOSTOLICA CHRISTI ECCLESIA

Cuiuis introſpicienti ad oculum clarè apparet;


PONTIFICIORVM, LVTHERANORVM, ET CALVINISTARVM

Trino calculo approbatum.

Authore
PETRO CVDSEMIO
Cliuo-vveſalienſi.


DEVT. XIII. Verſ. XV.
In ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.

Inſpice me, Lector, ſine fuco, & fraude videbis,
Quæ ſit Apoſtolicâ tradita voce fides.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. X.

REVERENDISSIMO, ET ILLVSTRI DOMINO, DOMINO ARNOLDO A BOICHOLTZ, PRAEPOSITO HILDESHEMENSI, SEREN. & Reuerend. Archiep iscopo, & Principi Electori Colonien. à consilijs, & secretis intimis, &c. Domino suo clementi, & magno Patrono.



PAVCIS *ab hinc annis, Reuerēdiss. & Illustris Domine Præposite, clemēs, & magne Patrone, edidit libellū Author anonymus nō contemnendæ eruditionis, cui titulum fecit:* MVNDVS ALTER, ET IDEM, *in quo iocosè ridet mundi vanitatē, vitia, errores, turpitudinem, paremq́; esse demonstrat huius, & antiquissimorum tēporum conditionem, quâ mundus per omnia est semper sui similis. Longè ego melius, vel vtilius hac tempestate cōscripsero libellum, in cuius fronte titulū imprimam:* ECCLESIA ALTERA, ET EADEM, *in quo eiusdem prædicem sanctitatem, veritatem, cōnstantiam, & perpetuitatem, ostendamq́; nihil eā, quæ est hac ætate nostra à primitiua,*

& ea, quæ Apostolorum, Sanctorumq́ Patrũ proximis aliquot pòst vixit sæculis, degeneraſſe, nihilq́ ab antiquæ fidei laudibus, Euangelicæ veritatis ſinceritate, aliiſq́ virtutibus priſtinis defeciſſe; ſed quæ apud eam, tãquam caſtiſsimam Dei ſponſam Spiritus S. à principio depoſuit ornamenta, & κειμήλια, eadẽ ad mundi vſq́ finẽ, & glorioſum, viſibilemq́ Chriſti ſponſi ſui aduentũ, fideliter conſeruaſſe hactenus, & conſeruaturam deinceps. Video enim paſsim in lucẽ prorepere monſtra, quæ nunc, ſicut olim inſani Hæretici, cũ quibus veteris Eccleſiæ cõflixerunt SS. Patres, boant & mugiunt Eccleſiã periiſſe, intercidiſſe, defeciſſe, ex ſponſa Chriſti, ſicut olim Thaidi, Terentiano ſcorto, contigit, meretricẽ Diaboli euaſiſſe, & multò de ea plura, & peiora euomunt, quam piæ menti commemorare fas eſt. De Lucifero narrat S. Hieron. lib. con. Luciferianos cap. 1. quod ſemper illud in ore verſare, & iactitare ſolebat, ſe, ſuamq́ ſectam tantum in orbe puram eſſe Chriſti Eccleſiam, veterem autem lupanar factam. De Donatiſtis, quos certatim æmulantur hodie in omnibus Caluiniſtæ, idem teſtantur S. Optatus lib. 1. & S. Auguſtinus hær. 29. Et ſerm. 2 in Pſal. 101. vbi prolixè

ſatis

satis hanc ipsorum amentiam exagitat, dicētium; Ecclesiam visibilem de terris periisse, & apud se solos in Africa remansisse: Hoc dicunt, *inquit*, qui in illa non sunt. O impudentem vocem, Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis. *Et infra, Ecclesiam introducit ita loquentem:* Quamdiu ero in isto sæculo, annuncia mihi, propter illos qui dicunt; fuit, & iā non est. Apostatauit, & perijt Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciauit: Ecce ego vobiscum sum ad consummationē vsq; sæculi. *VValdenses, vulgô Pauperes de Lugduno, prorsus similem aliquā suo sæculo cantillabant fabulam, circa annum Domini 1170. dicentes se diuinitus ad nouam suscitādam, & propagandā Ecclesiam vocatos, quod antiqua Syluestri Papæ tēpore exstincta esset, vt refert Antoninus 4. par. summæ tit. 11. ca. 7. §. 2. Nostro æuo Hæretici multiplices, & nequissimi, hanc eandem coquunt, & recoquunt crambem, quam ad nauseā & vomitū alijs apponūt, sibiipsis ad morbum, & animæ internecionem, (vt verè locum hic habere possit illud Prophetarū filiorū dictum:* Mors est in olla*) clamantes semper, & ingerētes: Ecclesia antiqua, & pura perijt, defecit, apostatauit.*

 Quo

Quomodo his occurrendũ cẽſes hominibus, Reueren. Præſul, ecquid cõſilij ſuades, & remedij Illuſtr. Domine, vt tot tãq. peſtilentes huius tẽporis controuerſiæ, quæq. de rebus fidei, ſũmi momẽti negotijs, in communis Patriæ foro agitantur lites, tandẽ ſopiantur. Sine dubio illud, quod ſapiẽtiſſimus, & pijſſim⁹ Imperator THEODOSIVS *in mediũ protulit, & ſimili olĩ cauſæ feliciter ipſe accõmodauit. Narrat de illo Sozomenus ſcriptor Eccleſiaſt. ſat celebris, & vetuſtus. l. 7. hiſt. c. 12. quod hac arte ſui ſæculi hæreticos cõuicerit, cõpeſcuerit, cõfuderit. Iuſſit hæreſiarchas, & ſingulos ſectarum principes, & Architectos ſimul conuenire, deinde ab illis, ſuâ interpoſitâ ſententiâ, quæſiuit, quidnã ſentirent de antiquis patribus, & Paſtoribus ijs, qui ante hoc ipſorũ diſſidium Eccleſiam rexiſſent, & gubernaſſent, exiſtimarentne illos veros, & Apoſtolicos fuiſſe Chriſti miniſtros, & Euangelicæ veritatis Aſſertores, in quod cũ cõſenſiſſent omnes, ſubiunxit;* Examinemus ergo doctrinã veſtram ad illorum ſcripta, & ſi cũ illis conſenſerit, retineatur, ſin minus abijciatur. *Inſigne factum, & prudens Principis Laici de Eccleſiaſticis ſecretioris Theologiæ cauſis conſilium! Certè an fructuoſius aliud vllum adhiberi poſ-*

ſit?

sit, addubito; præsertim cũ hæretici homines sint adeò vsq; obstreperi, et pertinaces, vt nullis neq; armis neq; argumẽtis aliâs coerceri, & ad veritatẽ adduci queant. Solidius, & certius de eisdẽ conuincendis, & condemnandis iudiciũ atq; cẽsurã, à quo exspectare debeam⁹ Catholici scimus, quẽ nẽpè Deus suæ in terris domus patrẽfamilias constituit, vt inter filios iudicet, ijsq; pacem, & concordiam mandet.

Imperatoris tamẽ consiliũ sequuti, Speculũ ecce hic adornauimus doctrinæ SS. Patrũ veterũ, cũ quo conferri, & examinari hodie litigãtium scriptorum modernorũ traditiones debeant; ad quod Lutherani, & Caluinistæ sæpius prouocant. Neq; abnuũt Catholici, quos ipsi Pontificios appellant, & ego in hoc tractatulu cum ipsis. Quod in Catholicorum iniuriã, & fraudẽ factũ esse, nemo interpretetur, quũ nomẽ illud neq; hæresin, neq; schisma redoleat, sed primariũ Catholicæ Ecclesiæ Regentẽ, & Pastorem indicet. Neq; olim Catholici ægrè tulerunt se ab Arianis vocitari Homousianos. Imò S. Chrysost. hom. 33. in Act. Apost. dicit nihil mali subesse, si Catholici etiã nominẽtur ab ijs, q Ecclesiã gubernãt. Quid verò libello, studioq; nostro pficiemus, q d nõ, Deo cõmittimus euẽtũ, cuius solius gloriã

illustrare & propagare manibus pedibusq́; annitimur, non minus proximi, atq; nostra ipsorum salutis cupidi, Non est liber, qui disputat, alijs cõuiciatur, & obtrectat, vt quẽquã offendat, sed qui diuersas singulorũ Authorũ opiniones, & sententias nudis, & formalibus ipsorũmet verbis exprimat, de quibus Lectori integrũ relinquitur iudiciũ. Habet hic breue Cõpendiũ, in quo ceu in speculo, vnico statĩ intuitũ videt de præcipuis Theologiæ capitibus doctrinã SS. Patrũ veterũ, et recentium, & Synopsin controuersiarũ inter Catholicos, & huius sæculi hæreticos. Quod si quis extractum, & pericopen appellare velit eorũ, quæ magnis voluminibus, in 4. tom. digestis, eruditissimè disputat Card. Bellar. lubens etiam admitto, & fateor me multa SS. Patrum dicta ad meum institutum ex alijs scriptoribus, sed plura ex ipso Bellarmino, non pauca etiã ex ipsis fontibus descripsisse. Magnæ id artis, & ingenij non fuit, non parui tamen laboris. Interea spero multis libellum profore, non modò Hæreticis, sed ipsis etiam Catholicis, quibus vel est molestum varias, & diuersas ex pluribus semper colligere libris de vna aliqua materia Patrum, aliorumq́; Authorum sententias; vel sumptuosum

tuosum nimis, integra sibi comparare ipsius Bellarmini opera, satis multa, & pretio cara.

Tibi verò Reuerendissime, & illustris Domine Præposite, hoc meum speculum dono do, & dedico, tum quod eximius passim audis studiorũ, & pietatis Mæcenas, & promotor, tum quod tibi pro magnificis, & munificis clementiæ, & amplissimarum gratiarum donis in me indignum collatis, hanc, quam meritò, & iure tuo à me exspectes, & exigas, debeo gratitudinem, beneficijs tuis licet imparē, & illustri nomine indignā. Tu tamen hoc munusculum accipe eâ, quâ tuorum clientum res soles, clemētiâ, ipsumq́; SPECVLVM *nominis tui splendore illustra, vt omnes clarè in eo videant* VERAM, ET APOSTOLICAM CHRISTI IN TERRIS ECCLESIAM.

Coloniæ Vbiorum die festo S. Materni, Tutelaris Colonien. Patroni. An. 1610.

Reuerendiss. & illust. V. Dom. & Amplit.
humillimus Cliens,
M. Petrus à Cudsem, Cliuovvesaliensis, indignus Iesu Christi Sacerdos.

PROLEGOMENA AD PIVM, & Christianum Lectorem.

RVDI fateor penicillo, Beneuole lector, superioribus nundinis veram tibi effigiem SECTAE CALVINISTICAE, tricipitis monstri, si non depinxi, saltem delineaui, spe fretus illa, aliquem paulò post affore, ingeniosum fortè Apellem, qui neruos, & lineamenta viuis etiam suis coloribus adornaret perficeretque. Cœpit interea biliosus Draco ægrè hoc ferre, ringere, labra mordere, & ignem in me euomere, quod atro lapillo nigricantem, & natiuam eius faciem decolorarim, totumque deforme corpus cum capite, & cauda, publico spectaculo exposuerim. Sed rabidi illius ingenij optimè conscius, tempestiuè aliquo me præmuniui contra venenata eius sputa antidoto, vt non magnoperè perhorrescam virulentam eius linguam, & Theoninos dentes; frendeat, spumet, & in sua ipsius viscera sæuiat, me nequicquam terrebit, aut offendet, minusq; lædet.

Potius mei memor promissi, quàm quod contrà Asinum, qui aduersus me rudere cœpit, vocem extollere paratus, aggredior nunc, Diuina auxiliante gratiâ, paulò luculentiorem de visibili Christi in terris Ecclesia (neque enim de inuisibilibus nugis ego quicquam somniaui) tractationem; cuius cap. 1. libelli *de Desperata Caluini causa* mentionem feci, fidemq; deposui. Neque enim Tricerberi mi-

ri minæ, & odia potuerunt, neque eiusdem mendacia, & scurriles calumniæ debuerunt ab hoc pio me instituto, promissoque seruando, vel latum vnguẽ deflectere, aut auocare, quantumuis ætate virum, non senem, quantumuis eruditione, & sapientia in diuinis puerum & tyronem, Apostolica Sancti Pauli ad Timotheum exhortatione suffultum, dicentis: *Præcipe hæc, & doce; Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, & fide, in castitate, &cæt.* Et rursus ad Titum: *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: Nemo te contemnat.* 1.Tim.4. Tit.2.

SANE domestici quotquot sumus, omnes & singuli, & parui, & magni; iuuenes, & senes, pueri & adulti, hac lege, & officio obligamur, vt si qua parte domui paternæ ab insidiantibus substructus, vel immissus est ignis, manibus pedibusque celeres ad extinguendum incendium aquam comportemus: si qua parte eius parietes, & tecta ab hostibus conuelli, & dirui cæperunt, maturè lapides, & ligna reparandis rimis, & ruinis subministremus. *Pro opibus*, verum est, interea *condimus mœnia*, & nostra nos metiri decẽpedâ, ac modulo nouimus.

VIDEO inueteratoribus CALVINISTIS, ijs qui in perfidiâ suâ iam pridem consenuerunt, nihil magis dolere, magisque displicere, quam quod illorum senilis fatuitas, deliria, & fabulamenta nõ modò

lippis

lippis & tonsoribus, sed nunc ipsis etiam pueris nota, in biuijs & triuijs, palam & in circulis exsibilentur. Ideoq; contra meditati sũt plausibilem nonnihil aurium tenus cantilenã, quam ficta voce meo occinuerunt libello DE DESPERATA CALVINI CAVSA, eiusq; nescio quẽ Coridonẽ, vel Mopsum ex pago* produxerunt in scenã fistulatorem, cuius pueri, ceu magni authoris fabula illa, quę coniunctis Caluinistarum tibijs conficta, & in Heidelbergensium Professorum officinâ notis musicis figurata, atq; expolita, cum magno ipsorum strepitu in lucem prodijt. Verũ in fine videbitur cui' toni. Sat citò. n. plectrũ dissonãtibus illorum chordis, & vocibus, seu potius vlulatui accomodauero, si sat benè nouo prius, vt fidem meam liberem, themate atq; tractatu ad Catholicos corroborandum, & confundendum hæreticos peridoneo, ac vtili te, cãdide Lector, fecero locupletiorem.

*Helmhout.

Pertexui tibi supra vt probè meministi, longo ordine, & serie, eorum catalogum, qui præter & cõtra Romanense templum, nouas ædiculas, & sacella intra nostri vnius sæculi spatium, diuino cultui exstruxerunt. Præcipui sunt LVTHERANI, CALVINISTAE, MENNONISTAE, ad quorum certã aliquam familiam *Osiandrini, Flaciani, Maiorista: Zuingliani, Piscatoriani, Arminiani; Libertini, Svvencfeldiani,* & tota quæ reliqua est *Anabaptistarum* colluuies vel pertinet, vel confluit; sicuti ad communem aliquam cloacam, & sentinam sordes singulæ.

Tertij

Tertij ordinis homines pleriq;, vel omnes insaniunt, ac sine omni eruditione, & literarum luce, Andabatarum more, secum & cum alijs dimicant, quorum visiones, & prophetias, & somnia deliri ipsorum Patres, ex quorum cerebro nati sunt, *Lutherus, Caluinus*, & qui inter illos medius ambulabat ambidexter, calidum & frigidum ex eodē ore spirans, *Melanchthon*, furores appellarūt, suisq; scriptis vehementer represserunt.

Narrat de illis * Sleidanus Lutheranorū Histori ographus, quod de vocatione & missione sua interrogati, apparitionis, professionisq; hanc maximè pertexuêre causā respondendo: Ab Apostolorū tempore, & discessu, nullam in orbe fuisse ecclesiam, quæ purè & orthodoxè prædicarit Euangelium, sed exinde non nisi sectas & hæreses, quæ Apostolicæ doctrinæ laruis obductis cæcum & dementē mundum peruagatæ sunt, loco & vice vnius Eccesiæ grassatas esse. Nunc autem Deo placere, his vltimis temporibus antiquam orthodoxæ fidei lucem restituere, suamq; apud nos Ecclesiam, quæ tam repentè olim in herba emarcuit, omninoq; deperijt, iterum cum floribus in apricum, & lucem producere.

In commen. lib. 10 ad annum 36. & Henric. Bulling de Anabaptistis lib. 2. cap 10.

Matæologi, qui scholas Doctoris Lutheri, vel hypodidascali Caluini frequentant, prophetiā, & ineptam Anabaptistarum fabulā, plenis faucibus rident, atque vt sapientiores videantur, nolunt Apostolicā Ecclesiā, Christi spōsam, adeo tenerā in cunis suffocatā, sed quasi adultam, & ætate maturam Antichri-

ſti tyrannide oppreſſam, atq; exſtinctam, anno ab incarnatione Domini circiter ſexcenteſimo; atq; ab illa temporis periodo ad ſuam vſq; ætatem, *pro veritate mendacium, pro fide hæreſin, pro diſciplina tyrannidem fuiſſe ſtabilitam.*

Mille itaq; annis calculo illorum intelligis Eccleſiam intercidiſſe, à doctrinæ puritatē defeciſſe, nuſpiam deinceps fuiſſe, vel ſecundum aliquem inter ipſos Oepidum, non apparuiſſe, ſed mille annis in crypta, & antro Endymionis delituiſſe, & tandē miraculoſo ſupra humanum captum modò, in lucem iterum, vitamq; à tam longinquo ſomno excitatam ſurrexiſſe. Video poſterius hoc commentum, quod prioris fabulę debet eſſe ἐπανόρθωμα iam multis, probari vt tot tamq; lōgis ſeculis dicatur Eccleſia non interijſſe, ſed tantum à virginali caſtitate veritatis defeciſſe; itemq; non omnino non in mundo extitiſſe, ſed in illo conſpicuam, & viſibilem non fuiſſe, in medio Papatus interim occultam. Sed aſinos hæc doceant, qui hiſtorias legere non nouerunt, & diſcipulos habebunt, benè auritos, atq; attētos ſuper hoc myſteriū.

Quæſo, Candide lector, & quiſquis es homo, qui ratione duceris, non affectu, cedo, vtra horū vox tibi videtur abſurdior? an minus delirare tibi videntur cum ſocijs ſuis Caluiniſtæ, qui Chriſtum Eccleſia ſponſa ſua orbant, viduumq; ponunt annos mille? an magis inſanire putātur Anabaptiſtę, qui mille annis quingentos ſuperaddunt, & totidē

mille

sæculis Ecclesiam cum Euangelicæ doctrinæ puritate, ex orbe, & ex oculis tollunt? Ego vt paradoxum aliquod proferam, verè orthodoxum, existimo cautius, & verius pro se respondisse Anabaptistas, qui à mille & quingentis annis obseruarunt, nunquam, & nusquam fuisse effutita eiusmodi somnia, fabulas, & nugamenta, qualia nunc ipsi proseminant.

Caluinistæ cum suis fraterculis (quanquam illos reciproco amore, fratres Lutherani minimè agnoscunt (si paulò fortius vrgeantur, & premantur primitiuæ Ecclesiæ, quæ post Christum annis floruit quingentis, vel sexcentis, vt placet, veritate, & eius doctorũ sententijs, recurrent demum cum Anabaptistis ad eandem stultitiæ anchoram, & asylon, ad quod antea sapientiores ire nolebant, eandem, quam illi supra, fabulam æ-ducuri, dicendo: ab Apostolorum tempore etiam sanctos Ecclesiæ Patres sæpe hallucinatos, sæpè in errores, & hæreses prolapsos, & pro verbo Dei sua sæpè suppoſuisse commenta, docuisse hominum traditiones, & cætera. Hoc alta & distincta voce Caluinistarum Coriphæus, VVitacker, Anglus proclamat, & typis inscribi mandat contr. 1. quæ. 3. cap. 1. *Doctissimi*, inquit, *Patres quidam & Sanctissimi Episcopi errores suos habuerunt, tenuerunt, alijs tradiderunt, & posteris reliquerunt, Origenes, Irenæus, Iustinus Martyr, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, & alij. Illorum etiam errores publicè recepti, & approba-*


bati sunt. Et ne quis ex Patribus ab hac nota effugiat, addit: *Hieronymū, & Gregoriū multa falsè, & absurdè scripsisse cōstat, & scripturas peruersè interpretatos esse. Quod cū fecerunt, Antichristo certè inseruierūt. Quid vultis amplius?* Et quid nūc intereſt inter furiosū Anabaptiſtam, & ſtolidū Caluiniſtam? ſed hęc eſt conſtās hæreticorum inconſtantia, & ſtabilis illorū vanitas, mutare ſæpè pellē, mutare ſæpè vocē, & in mille formas, Prothei inſtar, vultum, & omnia. Modò aiunt, modò negāt: & ne contradictio ipſis probro obijciatur, diſtinguunt, inquiunt, ſcilicet aerem ab aere, garriendo.

Nos interea inſtituti noſtri memores ſpeculum formabimus, non minus verum, atque pellucidum, in quo S. Apoſtolica, & Catholica Chriſti Eccleſia, introſpicienti cuiuis ad oculum clarè reſplendeat, paribus ſuffragijs, & votis communibus Pontificiorum, Lutheranorum, & Caluiniſtarū approbatum.

(***)

SPE-

SPECVLI HVIVS COMPOSITIO, QVAE EX *triplici Pontificiorum, Lutheranorum, & Caluinistarum, de veteri Romaná Ecclesiâ purâ, & orthodoxâ consentientium, testimonio resultat.*



QVI veræ Ecclesiæ signa, & notas exprimere cupiunt, vel multas afferunt, vt argumentorum copiâ, & numero obtineant, vel paucas, vt vel vnius, atque alterius solidi argumenti pondere, & præstantiâ euincant, apodicticeque demonstrent, quod probabiliter ferè isti multis concludunt. Vera autem & indubitata veræ, Apostolicæq; Ecclesiæ nota, quæ eam non tam foris declaret, quam eius essentiam intimè constituat, concordi Lutheranorum, & Caluinistarum testimonio, est Apostolicæ doctrinæ, & fidei veritas. Hæc enim est Ecclesiæ vita & anima, vt VVitakerus loquitur. Atqui doctrinæ Apostolicæ veritas, fideique integritas Ecclesiæ Catholicæ Romanæ primitiuæ, h,e, quæ primis, & proximis à Christo aliquot floruit sæculis, consentientibus trium supra dictorum hominum votis conceditur. Illa ergo & eius doctrina hoc nobis esto speculum, Ortho-

doxæ veritatis amussis, & cynosura. Neque perperàm. *Quod enim in vnaquaque re primum est, id reliquorum omnium*, teste Philosopho, *regula, & mensura est.*

In hanc autem sententiam pedibus eunt Lutherus, Caluinus, Zuinglius, vnà cum suis complicibus omnes: Romanam Ecclesiam antiquam, & quæ proximis aliquot ab Apostolorum ætate viguit sæculis, orthodoxam, sanctam, & Catholicam fuisse Christi in terris Ecclesiam; abiectâ verò Apostolica fide, doctrinæque Euangelicæ puritate, in Antichristi tyrannidem, & Satanæ Synagogam conuersam abijsse. Etsi autem huius apostasię, & Antichristianæ perfidiæ vel initium, vel incrementum pari non demetiuntur omnes calculo, singuli tamen, & omnes, etiam illi qui temporum articulos decurtãt, annos sexcentos, vel saltem quingentos Euangelicæ fidei veritatem, & sinceritatẽ ipsi relinquũt. Lutherus igitur primò omnium in medium prodeat, & suam nobis mentem de primæuâ Romanâ Ecclesiâ aperiat.

VOTA LVTHERANORVM de Orthodoxia veteris Apostolicæ, Catholicæ-Romanæ Ecclesiæ.

LVTHERVS in initio suæ defectionis cum nondum tam ignito æstuaret in Ecclesiam odio, tamq; inuerecundo tumultuaretur spiritu, agnoscit, & publicè fatetur Ecclesiam Romanam nullis, neque primitiuam,

mitiuam, neque modernam, neque posteram vnquam fore, esse, vel fuisse erroribus contaminatam, sed in perpetuùm Catholicæ fidei, & Apostolicæ veritatis custodem, & Magistram; & prudenti, æquissimoque distinguit iudicio, inter Romanæ Ecclesiæ doctrinam, & vitia, moresque hominum. In præfat. epistolæ ad Galatas. *Proinde*, inquit, *ego in tanto rerum, & verborum chao, & tanta syluestrorũ sylua, ad ciuitatem Augustam reuertor, & iudicium sequor, quo Principes Germaniæ in nouissimis comitijs, rectè, sanctè, & augustè discreuerunt inter Romanam Ecclesiam, & Romanã Curiam.* Et paulò post. *Quare & ego horum Theologorum Laicorum exemplo pulcherrimo longissimè, latissimè, profundissimè distinguo inter Romanam Ecclesiam, & Romanam Curiam. Illam scio purissimum esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, dominam mundi, sed spiritu, id est, vitiorum, non rerum mundi, sponsam Christi, filiam Dei, terrorem inferni, victoriam carnis. Et quid dicam? cuius sunt omnia, iuxta Paulum* 1. *Cor.* 3. *Ipsa aũt Christi, Christus aũt Dei. Hæc autem ex fructibus suis cognoscitur.* Et subijcit paulò infra: *Res sanè eant & vita pessum. At nomẽ Domini in æternum cur patiamur tam fœdè cõspurcari? Nullo modo ergo Romanæ Ecclesiæ resistere licet. At Romanæ Curiæ longè maiori pietate resisterent Reges, Principes, & quicunq; possent, quã ipsis Turcis. Hæc verbosiùs fortè & liberiùs.* Ita est paulò, vt ais, liberiùs.

Distinguit inter fidem & vitam, inter doctrinam & fructus, seu opera hominum.

ET in respons. ad Syluest. Prierat. *Et ego gratias ago Christo, quod hanc vnam Ecclesiam*

in terris ita seruat, vt nunquam à vera fide vl... suo decreto recesserit, nec tot barathris pessimorum morum Diabolus tantum efficere potuit, vt penes hanc non maneret ab origine suâ Canonicorum biblia librorum, & Ecclesiasticorum patrum, & interpretum authoritas, & authoritatis sincera professio, licet multi fortè sunt nimis, qui priuatim his libris prorsus nullam habeant fidem, nec eos curent legere, aut intelligere.

AT sui, & suorum verborum oblitus, Ecclesiam Romanam, quã dixit esse thalamum Christi, deinceps vocat *Lupanar Dæmonũ*, quã dixit sponsam Christi, *meretricem Diaboli* appellat, *scortum, & turpissimum prostibulum, tyrannidem Antichristi, Synagogam Satanæ, scholam errorum, & mẽdaciorum, barathrum omnium hæresium, & vitiorum.* His epithetis, & elogijs libri omnes ipsius passim exundãt, & nominatim lib. de capt. Babyl.

NEQVE tamen posteriore hoc iudicio intelligit Romanam Ecclesiam semper talem fuisse, qualem nunc designat, sed ab aliquot tantum sæculis. Ideoque in operatione in Psalm. 9. *Videmus*, inquit, *quam longè à facie primitiuæ Ecclesiæ, recesserit Ecclesia hodierna, quæ vel Babylone cruentior.*

IN postilla super Euangel. Matth. 4. in festo S. Andr. *Ecclesia*, inquit, *indies magis magisq; degenerat, quum miseræ conscientiæ, tot traditionibus, legibus, statutis, innumeris laqueis, & crucibus diuexantur, ac torquentur, multò crudeliùs, quam Martyrum temporibus,*

qui

qui tamen corpore tantum adfligebantur, nos autem tam corpore, quam animâ excæcati, seducti, & funditùs perditi sumus. Quando autem hęc apostasia, & euersio Ecclesię facta sit, indicat ibidem paulò post. *Quod vt iam plus quam trecentos annos fœdè contemptum* (nempe Christi Euangelium) *imò in totum peruersum sit, satis proh dolor hodiernæ Ecclesiæ status indicat.* Oblitus eius quod paulo antè in Comitijs VVormatiensibus Anno 1522. dixerat Ecclesiam defecisse paulò amplius quam centum annis ante suam ætatem, nempe tempore Hussi.

VERVM neutram assertionem videns veram, & firmam esse, recurrit altius Tom.7. in libr. cont. Papatum, ibique sexcentos annos tribuit Ecclesię quibus errorum caligine obscurata fuit, illamque Ecclipsin circa annum Domini millesimum apparere cœpisse indigitat.

ATQVI in lib. de capt. Babylonica, & in supputatione annorum mundi, iterum mouet, & mutat limites, tribuens primos tantum quingentos, aut ad summum sexcentos annos Ecclesiæ, quibus integra, & incorrupta superstetit in fide, & doctrinâ Apostolicâ. Patri Luthero succinunt Philip. Mel. in locis comm. & Iacobus Andreæ in respon. ad Apolog. Frider. Staphyli, &c.

HAEC verò omnium est maximè communis cantilena, quam Lutherus, & quotquot ipsum reformatæ prædicant doctrinæ Apostolum, & postremi sæculi Euangelistam, in

ſpiritu Eliæ ſuſcitatum,cantillant non modò Lutherani inquam, ſed & alienigenæ ipſi Caluiniſtæ, vt in progreſſu videbimus.

IOHANNES Foxus itaque in actis & monumentis ſuis Eccleſiæ caſum deducens, à Pontifice Bonifacio I I I. exorditur, in quem omnes etiam reliqui impetum faciunt, & primum in ordine Antichriſtum deſignant.

SVFFRAGIA CALVINIANORVM
DE VERITATE
Antiquæ Romanæ Eccleſiæ, eiusque in doctrinâ Apoſtolicâ puritate.

Sententia Caluini.

ACCEDANT nunc vota Caluinianorum. Caluinus poſtquam præſentis Eccleſiæ faciem deſcripſit libr.4.ca.7. § 27. *Quaſi verò dubium ſit, qualem Religionis ſpeciem profeſſi ſunt iam pridem Pontifices cum toto Cardinalium collegio, & hodiè profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt: Nullum eſſe Deum: Alterum, quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt, ac docentur, mendacia eſſe, & impoſturas. Tertium, doctrinam de futura vita, & vltima reſurrectione meras eſſe fabulas, &c.* fontem etiam errorum, & Apoſtaſiæ illius aperit, & pro inſigni ſuâ antiquitatis, & veterum annalium peritiâ ad ſexcentos ferme annos Eccleſiæ

clesiæ puræ,& innocentis gubernaculum extendit, & Papæ Gregorij I. ætate primùm semina errorum,& Antichristianæ Tyrannidis, proiecta fuisse, non conijcit, sed confidenter asserit, quam posteà plenâ potestate, & vi potius, titulo emptionis, Bonifacius III. vsurpauit, atque exercuit Ita enim habent eius verba libr. 4. institut. capit. 7. § 3. *Quod si vetustiora monumenta quis euoluat, reperiet communi fratris appellatione contentum tum fuisse Romanum Episcopum. Certè quamdiu durauit Ecclesiæ vera & pura facies, ista omnia superbiæ nomina, quibus insolescere postea cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita, quid esset summus Pontifex, & vnicum Ecclesiæ in terris caput, nesciebatur.* § 4. *De titulo autem vniuersalis Episcopi, Gregorij demùm tempore exorta est contentio.* Vides, beneuole lector, ex sententia Caluini, Gregorij demum tempore superbiæ nomen esse auditum, quod, quamdiu veræ & puræ Ecclesiæ facies durauit, nesciebatur. Gregorium tamen, quem & * Lutherus virum sanctum appellat, pium, & innocentem fuisse, & præsedisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, vltrò concedit. ibidem § 16. *Bona quidem erat & honesta Gregorij causa.* § 17. *Tandem Phocas, qui cæso Mauritio in eius locum suffectus est (nescio qua de causa Romanis amicior, imò quia illic absque certamine coronatus fuerat) Bonifacio III. concessit, quod minimè postulabat Gregorius,*

* *In supput. tempor.*

vt Roma caput esset omnium Ecclesiarum. Sed quid tum postea? *Græcia*, inquit, *& tota Asia paulò post à sedis Romanæ communione abscissa sunt.* * *Tunc verò primum in seruitutem redacta est Gallia, vbi Pipinus regnum occupauit. Nam cum Zacharias Pontifex Romanus ei adiutor fuisset ad perfidiam, ac latrocinium, vt pulso legitimo Rege regnum quasi præda expositum,* * *raperet, hoc mercedis tulit, vt in Ecclesias Gallicanas iurisdictionem haberet Romana sedes. Quemadmodum prædones commune spolium solent partiendo diripere, ita boni isti viri inter se compararunt, vt Pipino quidem cederet terrenum ac ciuile dominium, spoliato verò Rege: Zacharias autem caput fieret omnium Episcoporum, ac spiritualem potestatem haberet, quæ quum initio infirma foret (vt solet vsu venire in rebus nouis)* * *Caroli inde authoritate confirmata fuit, simili ferè de causa. Erat enim ipse quoque Romano Pontifici obnoxius, quod eius studio ad honorē imperij peruenerat. Quanquam autem credibile est prius valde deformatas fuisse vbique Ecclesias* (scilicet ab ætate vsque Bonifacij III.) * *constat tamen veterem Ecclesiæ formam tunc demum* (scil. tempore D. Caroli Magni, eiusque auxilio) *in Gallia, & Germania fuisse prorsus obliteratam.*

* Pipinus Caluino authore declaratur Tyrannus, qui omnium primò libertatem Galliæ in seruitutem mutauit.
* Imò fur, & latro.
* Eiusdem maleficij reus agitur D. Carolus M. Sunt ideoq; omnes Caroli M. in regno Galliæ successores, raptores, & latrones.
* Tempore Caroli M. Ecclesia in Gallia, & Germania prorsus fuit exstincta.

HAEC integrè scribere placuit, vt verbis Caluini constaret Ecclesia, *domus Dei*, quibus sæculis illæsa, sarta, tectaque perstiterit, quo verò tēpore omnium primò ruinas acceperit, & quando demum conuulsionem, & ruinam perpessa sit. O miseram domunculam! O stultum potiùs architectum!

1. Tim. 3.

ET

ET hæc sententia Caluini de Orthodoxia antiquæ Romanæ Ecclesiæ, circa sexcentos, vel quingentos annos, lib.1.cap.11.§13. magis desertis continetur verbis. *Principio*, inquit, *si quid nos mouet veteris Ecclesiæ authoritas, meminerimus quingentis circiter annis, quibus adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat, Christiana* templa fuisse communiter ab imaginibus vacua.* Et libr.4.cap.2.§3.sub finem, (cum in præcedenti §2. SS.Patrum Irenæi, Origenis, Augustini, & aliorum, à quibus Pontificij gloriantur se suam quasi per manus accepisse doctrinam, obiectionem posuisset) soluendo ita subijcit: *Sed quum extra controuersiam esset, nihil à principio vsque ad illam ætatem* (scil. Augustini) *mutatum fuisse in doctrina, &c.* Et concludendo. *Non est*, ait, *cur fucum amplius facere pergant ex Ecclesiæ nomine, quia fœtidam meretricem substituunt pro sacrâ Christi sponsâ.*

** Hoc tamē est palpabile mendacium.*

EANDEM succinunt cantilenam omnes Caluini asseclę. Antonius Sadeel ad obiectionem SS.Patrum de successionis titulo, respōdens: *Augustinus*, inquit, *qui & Manichæis & Donatistis sæpè hanc de qua agimus successionem opposuit, apertè docuit se de ea Ecclesia loqui, quæ doctrinæ puritatem ab Apostolis acceptam constanter retinet. Hæc est inquit mater vera, pia, & casta, intrinsecus sui viri dignitate ornata, non forinsecus mendacio fallente turpiter colorata, & cæt.* Et post folium vnum, vel amplius: *Nec dum Irenæi, vel Tertulliani, vel Augustini temporibus exortus erat inter Episco-*

Testimonium Hugonotta, Caluinistæ Galli.

pos, qui se Episcoporum Episcopum esse iactaret, qui se caput Ecclesiæ Catholicæ ore blasphemo appellaret, qui sibi non tantum Episcopos, sed etiam ipsas totius prope orbis Ecclesias subijceret, qui exstincta Euangelij luce humanarum traditionum tenebras offunderet, qui puritatem doctrinæ euerteret, sacramenta corrumperet, fœdissimam idololatriã inueheret, noua fidei dogmata fabricaret, ius sibi in viuorum & mortuorum animas arrogaret. Deniq; (quis enim omnia recenseat) qui disciplinam Ecclesiæ in tyrannidem omnium longè maximam, sæuissimamq; cõuerteret. Longè, longè inquã, boni illi patres aberant ab hac malorum abysso, in quam postea Christianam orbem hominum perfidia, & ambitio demersit. Illis igitur licebat stante adhuc Ecclesia piorum Episcoporum Catalogum in medium proferre, successionem fidei iactare, suas ostentare diuitias, sua ornamenta celebrare. Ex quibus patet puritatem doctrinæ S. Augustini ætate in Ecclesia adhuc viguisse.

Testimoniũ Puritani, Caluinistæ Angli. VVITAKERVS Anglus Caluinistarum facilè primus, controu. 2. quęst. 6. ca. 7. Contra demonstrat. 7. Staplet. *Alio*, inquit, *modo Catholica dici potest Ecclesia, quæ fidem Catholicam, hoc est, orthodoxam, quam omnes vbique tenent rectè sentientes, profitetur. Et fateor quidem Romanam Ecclesiam hoc modò Catholicam dici aliquãdo potuisse.* Et mox ibid. *Olim rectam de Christo, Christiq; religione sententiã tenuit.* Has verò particulas *Olim* & *aliquando* claris exprimit verbis, & certis accommodat temporibus ibid. cap. 1. *Quando*, inquit, *nos*

Ecclesiam Romanam veram, & Catholicam Christi Ecclesiam esse negamus, non veterem illam Romanam Ecclesiam intelligimus, qualis fuit tempore Apostolorum, & qualem Paulus eam describit Rom. 1. Tum enim vera Christi Ecclesia fuit: Nec eam, quæ nonnullis post Christi, & Apostolorum tempora sæculis fuit, quæ quamuis fuit aliqua ex parte corrupta (hoc intelligit de corruptelis vitæ & morum) *tamen vera Ecclesia fuit*, propter puram fidei doctrinam.

QVAE & quot autem sæcula intelligat, ex alijs eius patet dictis ibid. quæst. 5. cap. 6. ad 5. testimonium S. Augustini, qui epistola 165. ad Generosum, enumerat omnes Romanos Episcopos, à S. Petro, vsque ad S. Anastasium, nec vllum probat inter ipsos repertum fidei proditorem. Ad hoc inquam sic respondet: *Augustinus pro concesso sumit, quod iure potuit Episcopos illos omnes in fide permansisse.* Vbi puritatem S. Romanæ Ecclesiæ eiusque summorum Pontificum limitat vsque ad Papam Anastasium, vel S. Augustinum qui illam ibi fecit Romanorum Pontificum inductionem: quòd & alibi passim libenter admittit. Imò quæst. 5, cap. 4. vlteriùs progreditur. *Etsi*, inquit, *fuisset in illorum Ecclesia certa Episcoporum successio, eaque nunquam interrupta ad hunc vsque diem, tamen dico hanc successionem nihil valere, nisi probare possent similiter fidei, & doctrinæ successionem non interruptam in illa Ecclesia fuisse. Licet enim non ante Gregorij tempora, tamen postea interruptam fuisse doctrina*

doctrinæ successionem constat. Quo loco vult sexcētis post Christum annis in Ecclesiâ Catholicâ Romanâ Apostolicæ fidei integritatem, & doctrinæ successionem purè conseruatam. Et quæst.3. cap.1. vbi ex professo hanc tractat quæstionem, quando Ecclesia Romana cęperit deficere: *Quintò dicimus Gregorium Magnum fuisse vltimum, verum, & pium illius Ecclesiæ Episcopum, quem iure possis Episcopum vocare. Qui enim secuti sunt, verè fuerunt Antichristi.*

EXAMINATORES libelli mei, Professores Heidelbergenses, quid de antiqua Ecclesia Romana sentiant, superioribus ad calcem adijcere non piguit. *Principiò*, aiunt, * *quod Ecclesia Romana aliquando, & aliquamdiu fuerit vera, & sancta Christi Ecclesia, non erat cur nostrorum doctorum testimonio iste probaret, cum ipse Apostolus in sua ad eam scripta epistola id satis probauerit. De quo proinde non magis dubitandum esse censemus, quam vt supra dixi: An Thais aliquando, & aliquamdiu fuerit virgo, cum nempe in cunis iaceret.* Et paulò post: *Hoc verò doctores nostri constanter sentiunt, quod historiæ testantur; Ecclesiam Romanam, quamdiu quidem persecutionum tempestatibus affligeretur, & sub cruce in humilitate militaret, in doctrina Apostolica constanter perseuerasse: Et sic veram Christi Ecclesiam fuisse.* Et in fine: *Quamdiu equus Ecclesiæ prodijt albus, & rufus sub persecutionibus, res Ecclesiæ bene habuerunt circa fidem, & pietatem: postquam verò idem equus prodijt hæresibus denigratus, nec*

* *Parte 2. exam ca. 7. Testimonium Caluinistarum Germanorum, è Palatinatu.*

non

non ambitione, & hypocrisi Episcoporum pallidus, Ecclesia lethali pallore confecta cœpit agrotare ad mortem, & tunc ascendit ex mari Bestia Romana, super quam equitauit mulier alia, meretrix magna, Ecclesia Antichristiana. Id fieri cœpisse circa annum Domini DC. *vel paulo post, quando Gregorio defuncto Bonifacius III. Papa Romanus œcumenicus, seu vniuersalis Episcopus, Princeps Episcoporum, h,e, Antichristus à Phoca Imperatore declaratus fuit.* Sed hæc omnia Heidelbergensium commenta, & somnia esse, demonstrabitur aliâs.

O commiseranda Christe res, cuius casta, & formosa sponsa, amica tua, columba tua fit his hominibus, sicut nominatim Thais, ex virgine meretrix, & diaboli scortum: vel quod si cum sacro sancti nominis tui iniūria crimen falsi tibi impingunt, cur hoc blasphemum maledicorum hominum os non frangis, & compescis? sed hæc est patientia tua, quando vel horum malefactorum pœnitentiam exspectas, vel tam horrenda scelera grauioribus pœnis reseruas. Interim quando intacta virgo Christi ab illis relinquitur, qualis tum fuerit, etiam hoc scire, & explorare, instituto nostro conuenit.

Eodem tēpore, quo Ecclesiam Christi Heidelbergenses virginem dicunt, simul pollutam clamitant.

SVBIICIVNT verò Examinatores: *Quicquid tamen de puritate, & sanctitate Ecclesia olim Romana dicitur, & conceditur, non nisi iuxta declarationem tertiæ hypotheseos conceditur, & intelligi debet. Ita enim illa pura fuit in fide, & moribus, vt interim maculis, & næuis suis non caruerit.* Ecce qualem iam virginem fuisse

fuiſſe deſcribunt, quæ fidei, & morum maculis ſuis non caruit, ſcilicet Caluiniſticam, quæ ſi non concipiendi, ſed colludendi tantum & libidinandi animo cum procis ſuis ſe polluit, quantumcunque fidei & vitæ maculis turpis, virgo tamen adhuc appellatur.

HEVS tu ſuppoſititie Examinator, Branti, Logicus nuper fuiſti, tolle contradictionem in adiecto: Virginem eſſe, & pollutam eſſe, maculis non ſolum morum, & vitæ, ſed etiam fidei; quæ tamen Chriſti ſponſæ virginitas eſt, caſtitas eſt, pulchritudo eſt. Chriſti ſponſa virgo ita ſeſe non habet, quemadmodum tuæ Amaſiæ virgines, ſed tota pulchra eſt, tota formoſa eſt, & macula in illâ non eſt, ſcilicet hæreſeos, errorum, infidelitatis, perfidiæ. Quin dic primâ fronte cum fatuis Catabaptiſtis, ab Apoſtolorum tempore Eccleſiam meretricatam, ſcortum, & adulteram, quàm impuram, & defloratam virginem, vt quibus impietate pares, ſis etiam æqualis ſtultitiâ. Ne quidem ipſa Thais cum in cunis virgo iaceret, vt tu loqueris, vllam potuit ſentire caſtitatis maculam, cum qua tu ſanctiſſimam Dei virginem, Chriſti ſponſam, ſine omni fronte audes comparare. Attende potiùs quid de illa caſtus & S. Cyprianus, pater antiquiſſimus loquitur: *Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica.*

Lib de vnitat. Eccl.

ZVIN.

ZVINGLIANORVM ASSENSVS De Primitiuæ Ecclesiæ in fide, & doctrina puritate.

ZVINGLIANI, qui hodie Caluinistis cum quibus pacti sunt, accensentur, multum à cæteris Caluinianis in computo suo aberrant, an quia hæretici semper inter se discordes, an quia imperitores Arithmetici, tribuunt Romanę Ecclesię multò plura sexcentis sæcula, quibus suam castitatem, & virgineum decus in fide Christi cõseruauit. Afferam vnius, atque alterius ex illorum ordine sententiam, & ratificationem.

HENR. Bullingerus, de veteri Ecclesia incorrupta: lib.1. ca.16. de Concil. *Prateritis, inquit, omnibus omnium hominũ altercationibus, tenemus illa, in qua tanto consensu conspirauit Apostolica, & primitiua Ecclesia.*

ET de Orig. cultus diuorum, cap.6. *Apparet autem ex verbis sancta huius Ecclesia Asiaticæ, quod primitiua Ecclesia vni soliq; Deo adhæsit.* Et ca.19. eiusdẽ libri, *Prisca enim Orientis, & Occidentis Ecclesia Catholica annis quingentis, & sexcentis, & ampliùs soli Deo per Christum preces suas obtulit.*

OPINIO eiusdem, quando defecerit. Hoc verbis & numeris claris exprimit in præfat. Apocalyps. ad cap. decimum tertium nempe *anno Christi 763. quo tempore omnis pietatis, modestiæ, humilitatis, atque adeò officij sui papa immemor, sacularem affectauit potesta-*

potestatem, & mundi dominationem, eamq́ à Pipino, aliisque principibus obtinuit.

MVSCVLVS in locis communibus titulo de Ecclesia, existimat Romanæ Ecclesiæ Apostasiam circa tempora D. Bernardi incepisse, qui fenestellam vēturo Antichristo patefactam, ex nimio quem cernebat in Curiâ Romanâ luxu, splendore, & pompa, auguratus est, sua verò ætate, tempore sui magistri, Zuinglij, consummatam & detectam fuisse. Audite hominē. *An non disertè significat* (scil. D.Bernardus) *sedem illam Romanæ curiæ, sedē * esse Antichristi, qùum dicit in propinquo esse reuelationem hominis peccati filij perditionis, Dæmonij Meridiani in Angelum lucis transformati, quod extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? vnde colligebat reuelationem Antichristi esse in propinquo, quæ & nostra ætate est subsequuta.*

** Scil. in potentia & principijs, actu enim Zuinglij demum tempore illa fuit.*

NEQVE verò Musculus Romanam Ecclesiā vult ab origine sua, & ab Apostolorum vsq; tēporibus sedem esse, vel fuisse Antichristianam, sed reuerâ Apostolicā, & sanctā, ideóq; paulò ante ibid. admonet: *Nec veteris Ecclesiæ existimatione fucū sibi fieri sināt, sed hanc præsentē, qualis sit considerent. Deprehendent vtiq́ omnium esse à veteri diuersissimam.* Atque hoc ipsum nostro inseruit, & satisfacit instituto.

SED Caluinistarum vota suo concludat suffragio, vel potius titulo Regius Anglorum scriptor, quem in nupero libello sibi vsurpat: *Iacobus Dei gratia magnæ Britanniæ Rex &c. Fidei veræ, Christianæ, Catholicæ, & Apo-*

& Apostolicæ veteris, ac primitiuæ Ecclesiæ, tot Episcoporũ, aliorumq́; fidelium martyrij gloriâ coronatorum, sanguine illustris propagator, & defensor.

IN quo libello Rex profitetur non semel, sed iterum, se præter sacras scripturas recipere quatuor prima Concilia Oecumenica, & quæ Sancti Patres quingentis post Christũ annis vnanimi consensu docuerunt. Idem protestantur de sanctis istorum sæculorum Patrib' Hugonottæ in synodo, vel potius cõciliabulo Rupellensi, cuius confessio psalterio ipsorum Gallico plerunque accuditur.

ET hinc Lutherus in supput. tempor. & Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. § 16. *Gregorium Magnum virum sanctum* dicunt, sed *vltimum Ecclesiæ Apostolicæ Episcopum.* Philippus Mel. in orat. de corrigendis studijs, *pereuntis Theologiæ præsultorem* appellat. Caspar Peucerus verò in chronicis vocat *Superstitionum Architectum:* Et Bullingerus de origine erroris Missæ, *Cæremoniarum Magistrum.* Et ait: *Hic est ille Gregorius, cui non modò infinitas superstitiones, sed & omnium superstitionum caput, & portentosam Missam adferimus acceptam.*

QVOD si Lutherani, vel Caluinistæ etiam hisce, suis ipsorummet dictis, & placitis obstrepant, & reclament, neque primigeniam Ecclesiam ab hæresi, & erroribus excipiant, sed etiam sanctissimos quingẽtorum à Christo annorum patres sępe hallucinatos, & turpiter lapsos esse contendant, hactenus nihil nisi actum egisse, & latius lauasse videmur?

ETENIM & hoc sine vllo pudore Lutherum asseruisse cõstat, in conflictu cum Erasmo de lib. Arbit. *Patres tot sæculorum oẽs cæcutiuisse, & literarum imperitissimos fuisse, & deniq; in tota vita errantes, nisi ante mortem reducti fuerint, neq; sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere.* Philip. Mel. in comm. ad cap. 3. prioris ad Cor. *Statim initio Ecclesiæ scriptores veteres obscurarũt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt cæremonias, & finxerunt esse peculiares cultus, fuerunt duriores in prædicãdo cælibatu. Et has vocat stipulas super fundamentum structas.* Et Theologi Magdeburgenses Cent. 2. cap. 4. *Tametsi hæc ætas Apostolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Christi, & Apostolorum non parum obfuscari cœpit:* moxq; *de libero Arbitrio, de iustificatione, de bonis Operibus, de Pœnitentia, de Sacrificio, de inuocatione Sanctorum, de merito Virginitatis, &c.* sententias doctorum istius sæculi, *Iustini, Irenæi, Clementis Alexand. Ignatij, &c.* tanquam erroneas adscribunt.

Similiter Caluinus, Beza, Martyr, VVitakerus, Sadeel, Caluinistæ Palatini grauiter eorundem criminum primam & innocentẽ SS. Patrum & Martyrũ ætatẽ accusant, & ab Apostolorum tempore Antichristianæ perfidiæ semina illos ipsos in Ecclesia iecisse adstruunt.

Hoc tamen profecerimus, vt iam deinceps cõstet quod par sit & æqualis in omnibus; Lutheranis, Caluinistis, & quos illi antea deridebant, Anabaptistis, vanitas, futilitas, falsitas.

SEN-

SENTENTIA PONTIFICIORVM

De Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana.

CATHOLICI qui vnã Christi in terris Ecclesiam ab omnibus sectis distinctã, & in petrâ, immotâ veritatis rupe fundatã collocant; nõ modò Ecclesiã Romanã veterẽ, quæ quingẽtis annis à S. Petro vsq; ad S. Anastasium, vel ad S. Gregoriũ vsq;, Papas, annis sexcentis salua, & illibata floruit; verũ etiam eandẽ Ecclesiã Catholicã Romanã, quæ ad nostra tempora, à D. Petro, vsq; ad Paulum V. hodie Pontificem eius Opt. Max. contra omnes diaboli impetus, & inferi portas inuicta superstetit, purã atque orthodoxã Dei Ecclesiã, lucis veritatisque scholam esse, fuisse, ac fore deinceps; vti diuino acceperũt oraculo, confidenter asseuerant.

ADMITTVNT itaque Pontificij sanctitatis & fidelitatis testimonium, quod Lutherani cũ suis riualibus veteri Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ ad annos sexcentos, vel quingentos, vel si placet, quadringentos, & pauciores, largiuntur, vehementer dolẽtes, quod eadẽ Ecclesia sequẽtibus sæculis annorũ mille, intra quorum spaciũ ipsi Germani maximã partẽ, in sacrosanctam eius venerunt societatẽ, ex Gentilibus Christiani facti, tã iniquã debeat ab his adulterinis natis experiri censuram. Interim conditionem quã offerũt, Catholici accipiunt, vt antiqua illa Romana Ec-

na Ecclesia, orthodoxę veritatis magistra, iudex intercedat controuersiarum, quæ cruentis his sæculis non modò argumentis, sed etiam armis, arte, & Marte vtrimq; agitantur. Certè illa erit προσωποληψίας expers, & partiũ omnium minimè studiosa.

SANCTI PRIMITIVAE Ecclesiæ Patres, Orthodoxi Apostolicæ fidei Doctores.

CONVOCANDI iam nobis sunt ex Oriente, & Occidente, & in ordinem cogẽdi celebriores veteris, & primævę Ecclesię Doctores, qui quingentis, vel sexcentis annis à nato Christo, non modo eruditionis, & sanctitatis laudẽ inter homines meruerunt, sed etiam apud Deum vel miraculorum insuper gloriam, vel martyrij coronã cõsecuti sunt: & quidem ordine, & vocatione suâ omnes venerabiles Ecclesiæ Patres, & Pastores; plerique Episcopi, Archiepiscopi, vel etiam summi Pontifices; quorum nobis deinceps ob oculos ponenda, & frequenter inspicienda est doctrina.

IN 1. annorum centuriâ, h, e, ab Apostolorum ætate & ministerio ad annum Christi C. floruerunt Clemens Romanus P. Dionysius Areopagita, Ignatius.

IN 2. à C. ad CC. Hippolytus M. Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus.


IN 3. à CC. ad CCC. Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Gregori' Neocæsariẽsis, &c.

quo-

quorum duos primos nõ pro Sanctis, sed solum Antiquitatis, & veritatis Ecclesiasticæ testibus habemus.

IN 4. ab anno CCC. ad CD. Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ephrem, Ambrosius, Lactantius, Eusebius Cæsariensis, Damasus, Prudentius.

IN 5. ab anno CD. ad D. Macharius, Theophylus Alexandr. Chrysostomus, Gaudenti⁹, Ruffinus, Hieronymus, Augustinus, Innocẽtius Papa, Cyrillus Alexãdr. Eusebius Emissenus, Maximus, Paulinus, Prudentius, Prosper, Optatus, Sedulius, Leo, Fulgentius, Paulus Nolanus, Paulus Orosius, Eucherius, Gẽnadius, Theodoretus, Cassianus, Synesius.



IN 6. ab anno D. ad DC. Boetius, Cassiodorus, Remigius, Primasius, Hesychius, Gregorius M. Papa.

Hos ætate proximâ succenturiati sequuntur Damascenus, Theophylactus, Paschasius, Beda, Alcuinus, Isidorus, Saluianus, Pamphilus Mart. Euthymius, Oecumenius, Simeon Metaphrastes, Pacianus, Anselmus, Bernard⁹, P. Lombardus, Hugo de S. Victore, Bonauentura, Thomas, totusque scholasticorum doctorum cætus, & venerabilis ordo.

AB horũ tamẽ vocibus, grauissimisq; sententijs, quibus egregiè collustrari posset veteris cũ modernâ, quę hac ætate nostrâ ad annũ vsque Domini M. DCX. peruenit, consentiens Ecclesiæ Romanę doctrinâ, atq; in auitâ

Maiorum fide constans perseuerãtia; propter pactum,& contractum in præsentia abstinẽdum est. Neque enim patiemur in bonæ causę fauorem, compromittentium vota, vltra cõclusum vocatorum testium numerũ, & præscriptam temporis metam diffluere; sed ab illis,& in illis scrutabimur rei veritatem, & solidam aliquam totius cõtrouersiæ elucidatione, diuinę ad hanc rem admonitionis consilio,& promisso innixi, quod exstat Deut. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum,& annunciabit tibi, maiores tuos,& dicent tibi.*

PORRÒ non in rebus leuiculis, adiaphoris,& à fundamento Apostolico alienis; puta de Asini vmbrâ, de lanâ caprinâ, de tribus capellis, de octo chori tonis, de casula, de cappâ, de cæremonijs,& similibus, SS Patrum oracula hic attendenda sunt; sed in causis maximi momenti, de summis & capitalibus fidei articulis, in quibus æternæ salutis prora, puppisq; consistit, ipsorum axiomata, tanquã veritatis regulæ, nobis cõtemplanda venĩũt. His postea de eâdem materiâ, & argumento subijciemus Pontificiorum, Lutheranorum, & Caluinistarum doctrinam,& traditiones, tanquam præscriptæ regulæ exempla analoga, vel anomala: quoniam isti omnes ad veteris,& orthodoxę Ecclesiæ sensum, iudiciũque prouocant, vt quorum vox & doctrina cum illa veteri consonet, quorum verò dogmata ab ista discrepent, Lectori quasi in speculo ad oculum semper appareat.

INDEX LOCORUM COMMVNIVM:

Continens xxv. palmaria fidei Christianæ puncta inter Pontificios, Lutheranos, & Caluinistas controuersa: quæ SS. Patrum primitiuæ Ecclesiæ sententijs deciduntur.

XXIII. De Confessione, & Potestate clauium, seu Absolutione.

XXIV. De Satisfactione.

XXV. De Sacerdotum, & Ecclesiasticorum cœlibatu.

ATQVE in his proponendis, exponēdisq; fidei articulis, sine omni probādi, disputādique forma, primò omniū præmittemus, atq; præfigemus in frontispicio *Catholicum* dogma, Antiquitatis oraculū, veritatis regulā, & Cynosurā. Deinde huic probatas SS. *Patrum*, primitiuæ Ecclesiæ Doctorum, & orthodoxæ fidei testiū, sentētias bonâ fide adscribemus. Tertiò his *Pontificiorum*: Quartò *Lutheranorū*, & quintò *Caluinistarū*; qui tres de Ecclesiæ titulo, & veritate certāt, & ad primitiuæ Ecclesiæ magisteriū, iudiciūq; prouocāt, doctrinā ordine subijciemus; Vltimò, ad calcē plerunq; adijciemus veterem, & à primitiua Ecclesia dānatam, *hæresin*. Et quidē de nostro nihil hic afferemus, nisi fortè voculā quādoque illustrationis causa, & hoc rarissimè, sed litigantiū traditiones, ipsorū Capitaliū Authorū, puta Caluini, Lutheri, & quia Pontificij stant Pontificis decretis, & cōcilijs, vltimæ generalis Synodi Tridentinæ, formalibus verbis exprimemus; sine aliqua aliorū in eādē classe authorū, vel diuersarū in eâdē materiâ opinionū lōgâ coaceruatione. Pulchrè conuenire Lector videbit Pontificios cū SS. Patribus, & dogmate Catholico: & similiter Lutheranos, & Caluinistas cum Hæresi antiqua, & à primitiua Ecclesia ipsa iam olim damnata.

LOCVS

LOCVS I. DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

Antiquum, & Catholicum primitiuæ Ecclesiæ

DOGMA.

Hominem in rebus etiam moralibus, tam bonis, quam malis, adque animę vel ſalutem, vel exitiū pertinentibus, liberum ſemper habere arbitrium, nunquam verò peccandi neceſſitate eſſe illigatum, atque constrictum.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Clemens, qui Apoſtolorum tempore vixit, lib. 3. Recognit. *Dic quomodo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemq; pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? Hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia. Fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & indices fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt. Non enim in ſua poteſtate habuerunt, vt non peccarent.*

S. Dionyſius Areopag. li. de diuin. nomin. cap. 4. part. 4. prope finem. *Dixerit verò quiſpiam infirmitatem ſupplicium non mereri, ſed veniam, Si igitur non licuiſſet obſiſtere, rectè forſan eſſet obiectum: ſin autem ex ipſo bono vires ſuppeditantur, quod vt ſacra elogia docent,*

omnibus simpliciter conuenientia tribuit, non est ignoscendum, si quis per ignauiam ab ipso bonorum propriorum habitu diuinitus procedente aberrauerit.

S. Ignatius epist ad Magnesianos: *Quandoquidem actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ, & singuli qui aut hoc, aut illud elegerant, in eius quod elegerant, locum abituri sunt fugiamus mortem, & eligamus vitam.* Et infra: *Si quis pietati studet, Dei homo est, si impiè agit, diaboli est, non id factum per naturam, sed per animi arbitrium.*

S. Iustinus Martyr in Apologia ad Imperatorem Antoninum: *Nisi libero arbitrio genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam culpamquè est eorum, quæ quoquo modo aguntur, sed ipsum libero arbitrio, liberaquè voluntate & rectè facere, & peccare docemus.* Item ibidem. *Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per se ipsum bonum non eligeret.*

S. Irenæus libro 4. capite 71. *Illud quod ait; Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum fecit Deus ab initio.* Quo vniuerso capite Sanctus Pater nihil aliud probare annititur, quam quod ei⁹ titulo promittit: *Ostēsio quod homo liber sit, & suæ potestatis ad hoc vt posit eligere bona, vel contraria:* Et concludit: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati*

operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud. Obseruo hic simul perelegans testimonium de bonorum, malorumque operum *Meritis.*

S. Clemens Alexandr. libro 1. stromat. *Quoniam libera electio, & appetitio peccata primum inchoat, iure infliguntur supplicia.* Et infra: *Quæ cum ita sint, & liberari ab ignoratione, & à mala, & delectabili electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasijs, & visis, situm est in nostra potestate.*

S. Athanasius oratione contra idola, circa principium: *Anima libera est, & sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Et infra: *Quæ cum liberum sui ius, arbitriumque intuetur, sentit se in vtramque partem corporeis membris vti posse tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea verò quæ sunt, bona appello, quæ non sunt, mala.*

S. Basilius in explicat. psalm. 61. *Non licebit tibi dicere in die iudicij, non noueram bonũ. Proferentur tibi propriæ statera, sufficientem boni & mali discretionem habentes.* Et in oratione de libero arbit. *Nam quod in homine situm est liberum arbitrium, in eligendo, & non eligendo situm est.*

S. Gregorius Nyssenus lib. 7. de philos. ca. 2. *Concupiscere, & non concupiscere, mentiri,*

& non

ETENIM & hoc sine vllo pudore Lutherum asseruisse cõstat, in conflictu cum Erasmo de lib. Arbit. *Patres tot sæculorum oẽs cæcutiuisse, & literarum imperitißimos fuisse, & deniq; in totâ vitâ errantes, nisi ante mortem reducti fuerint, neq; sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere.* Philip. Mel. in comm. ad cap. 3. prioris ad Cor. *Statim initio Ecclesiæ scriptores veteres obscurarũt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt cæremonias, & finxerunt esse peculiares cultus, fuerunt duriores in prædicãdo cælibatu. Et has* vocat *stipulas super fundamentum structas.* Et Theologi Magdeburgenses Cent. 2. cap. 4. *Tametsi hæc ætas Apostolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Christi, & Apostolorum non parum obfuscari cæpit:* moxq; *de libero Arbitrio, de iustificatione, de bonis Operibus, de Pœnitentia, de Sacrificio, de inuocatione Sanctorum, de merito Virginitatis, &c.* sententias doctorum istius sæculi, *Iustini, Irenæi, Clementis Alexand. Ignatij, &c.* tanquam erroneas adscribunt.

Similiter Caluinus, Beza, Martyr, VVitakerus, Sadeel, Caluinistæ Palatini grauiter eorundem criminum primam & innocentẽ SS. Patrum & Martyrũ ætatẽ accusant, & ab Apostolorum tempore Antichristianæ perfidiæ semina illos ipsos in Ecclesia iecisse adstruunt.

Hoc tamen profecerimus, vt iam deinceps cõstet quod par sit & æqualis in omnibus; Lutheranis, Caluinistis, & quos illi antea deridebant, Anabaptistis, vanitas, futilitas, falsitas.

SENTENTIA PONTIFICIORVM

De Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana.


CATHOLICI qui vnã Christi in terris Ecclesiam ab omnibus sectis distinctã, & in petrã, immotã veritatis rupe fundatã collocant; nõ modò Ecclesiã Romanã veterẽ, quæ quingẽtis annis à S. Petro vsq; ad S. Anastasium, vel ad S. Gregoriũ vsq;, Papas, annis sexcentis salua, & illibata floruit; verũ etiam eandẽ Ecclesiã Catholicã Romanã, quæ ad nostra tempora, à D. Petro, vsq; ad Paulum V. hodie Pontificem eius Opt. Max. contra omnes diaboli impetus, & inferi portas inuicta superstetit, purã atque orthodoxã Dei Ecclesiã, lucis veritatisque scholam esse, fuisse, ac fore deinceps; vti diuino acceperũt oraculo, confidenter asseuerant.

ADMITTVNT itaque Pontificij sanctitatis & fidelitatis testimonium, quod Lutherani cũ suis riualibus veteri Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ ad annos sexcentos, vel quingentos, vel si placet, quadringentos, & pauciores, largiuntur, vehementer dolẽtes, quod eadẽ Ecclesia sequẽtibus sæculis annorũ mille, intra quorum spaciũ ipsi Germani maximã parte, in sacrosanctam eius venerunt societatẽ, ex Gentilibus Christiani facti, tã iniquã debeat ab his adulterinis natis experiri censuram. Interim conditionem quã offerũt, Catholici accipiunt, vt antiqua illa Romana Ec-

quorum duos primos nō pro Sanctis, sed solum Antiquitatis, & veritatis Ecclesiasticæ testibus habemus.

IN 4. ab anno CCC. ad CD. Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ephrem, Ambrosius, Lactantius, Eusebius Cæsariensis, Damasus, Prudentius.

IN 5. ab anno CD. ad D. Macharius, Theophylus Alexandr. Chrysostomus, Gaudenti', Ruffinus, Hieronymus, Augustinus, Innocētius Papa, Cyrillus Alexādr. Eusebius Emissenus, Maximus, Paulinus, Prudentius, Prosper, Optatus, Sedulius, Leo, Fulgentius, Paulus Nolanus, Paulus Orosius, Eucherius, Gēnadius, Theodoretus, Cassianus, Synesius.



IN 6. ab anno D. ad DC. Boetius, Cassiodorus, Remigius, Primasius, Hesychius, Gregorius M. Papa.

Hos ætate proximâ succenturiati sequuntur Damascenus, Theophylactus, Paschasius, Beda, Alcuinus, Isidorus, Saluianus, Pamphilus Mart. Euthymius, Oecumenius, Simeon Metaphrastes, Pacianus, Anselmus, Bernard', P. Lombardus, Hugo de S. Victore, Bonauentura, Thomas, totusque scholasticorum doctorum cætus, & venerabilis ordo.

AB horū tamē vocibus, grauissimisq; sententijs, quibus egregiè collustrari posset veteris cū modernâ, quę hac ætate nostrâ ad annū vsque Domini M. DCX. peruenit, consentiens Ecclesiæ Romanę doctrinâ, atq; in auitâ

Maiorum fide constans perseuerãtia; propter pactum,& contractum in præsentia abstinẽdum est. Neque enim patiemur in bonæ causę fauorem, compromittentium vota, vltra cõclusum vocatorum testium numerũ, & præscriptam temporis metam diffluere; sed ab illis,& in illis scrutabimur rei veritatem, & solidam aliquam totius cõtrouersiæ elucidationẽ, diuinę ad hanc rem admonitionis consilio,& promisso innixi, quod exstat Deut. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum,& annunciabit tibi, maiores tuos,& dicent tibi.*

PORRÒ non in rebus leuiculis, adiaphoris,& à fundamento Apostolico alienis; puta de Asini vmbrâ, de lanâ caprinâ, de tribus capellis, de octo chori tonis, de casula, de cappâ, de cæremonijs,& similibus, SS Patrum oracula hic attendenda sunt; sed in causis maximi momenti, de summis & capitalibus fidei articulis, in quibus æternæ salutis prora, puppisq́; consistit, ipsorum axiomata, tanquã veritatis regulæ, nobis cõtemplanda veniũt. His postea de eâdem materiâ, & argumento subijciemus Pontificiorum, Lutheranorum, & Caluinistarum doctrinam,& traditiones, tanquam præscriptæ regulæ exempla analoga, vel anomala: quoniam isti omnes ad veteris,& orthodoxę Ecclesiæ sensum, iudiciũque prouocant, vt quorum vox & doctrina cum illa veteri consonet, quorum verò dogmata ab ista discrepent, Lectori quasi in speculo ad oculum semper appareat.

INDEX LOCORVM COMMVNIVM:

Continens xxv. palmaria fidei Christianæ puncta inter Pontificios, Lutheranos, & Caluinistas controuersa: quæ SS. Patrum primitiuæ Ecclesiæ sententijs deciduntur.

XXIII. *De Confessione, & Potestate clauium, seu Absolutione.*

XXIV. *De Satisfactione.*

XXV. *De Sacerdotum, & Ecclesiasticorum cœlibatu.*

ATQVE in his proponendis, exponẽdisq; fidei articulis, sine omni probãdi, disputãdique forma, primò omniũ præmittemus, atq; præfigemus in frontispicio *Catholicum* dogma, Antiquitatis oraculũ, veritatis regulã, & Cynosurã. Deinde huic probatas SS. *Patrum*, primitiuæ Ecclesiæ Doctorum, & orthodoxæ fidei testiũ, sentẽtias bonâ fide adscribemus, Tertiò his *Pontificiorum*: Quartò *Lutheranorũ*, & quintò *Caluinistarũ*; qui tres de Ecclesiæ titulo, & veritate certãt, & ad primitiuæ Ecclesiæ magisteriũ, iudiciũq; prouocãt, doctrinã ordine subijciemus; Vltimò, ad calcẽ plerunq; adijciemus veterem, & à primitiua Ecclesia dãnatam, *hæresin*, Et quidẽ de nostro nihil hic afferemus, nisi fortè voculã quãdoque illustrationis causa, & hoc rarissimè, sed litigantiũ traditiones, ipsorũ Capitaliũ Authorũ, puta Caluini, Lutheri, & quia Pontificij stant Pontificis decretis, & cõcilijs, vltimæ generalis Synodi Tridentinæ, formalib⁹ verbis exprimemus; sine aliqua aliorũ in eãdẽ classe authorũ, vel diuersarũ in eâdẽ materiâ opinionũ lõgâ coaceruatione. Pulchrè conuenire Lector videbit Pontificios cũ SS. Patribus, & dogmate Catholico; & similiter Lutheranos, & Caluinistas cum Hæresi antiqua, & à primitiua Ecclesia ipsa iam olim dãnata.

LOCVS

LOCVS I. DE LIBERO HOMINIS ARBITRIO.

Antiquum, & Catholicum primitiuæ Ecclesiæ

DOGMA.

Hominem in rebus etiam moralibus, tam bonis, quam malis, adquè animę vel ſalutem, vel exitiū pertinentibus, liberum ſemper habere arbitrium, nunquam verò peccandi neceſſitate eſſe illigatum, atquę conſtrictum.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Clemens, qui Apoſtolorum tempore vixit, lib. 3. Recognit. *Dic quomodo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemq; pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? Hoc ſi teneatur, conuulſa ſunt omnia. Fruſtra erit ſtudium ſectandi meliora. Sed & iudices fruſtra legibus præſunt, & puniunt eos, qui malè agunt. Non enim in ſua poteſtate habuerunt, vt non peccarent.*

S. Dionyſius Areopag. li. de diuin. nomin. cap. 4. part. 4. prope finem. *Dixerit verò quiſpiam infirmitatem ſupplicium non mereri, ſed veniam. Si igitur non licuiſſet obſiſtere, rectè forſan eſſet obiectum: ſin autem ex ipſo bono vires ſuppeditantur, quod vt ſacra elogia docent,*

omnibus simpliciter conuenientia tribuit, non est ignoscendum, si quis per ignauiam ab ipso bonorum propriorum habitu diuinitus procedēte aberrauerit.

S. Ignatius epist ad Magnesianos: *Quandoquidem actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ, & singuli qui aut hoc, aut illud elegerant, in eius quod elegerant, locum abituri sunt fugiamus mortem, & eligamus vitam.* Et infra: *Si quis pietati studet, Dei homo est, si impiè agit, diaboli est, non id factum per naturam, sed per animi arbitrium.*

S. Iustinus Martyr in Apologia ad Imperatorem Antoninum: *Nisi libero arbitrio genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras ac bonas sequi, extra causam culpamque est eorum, quæ quoquo modo aguntur, sed ipsum libero arbitrio, liberaque voluntate & rectè facere, & peccare docemus.* Item ibidem. *Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per se ipsum bonum non eligeret.*

S. Irenæus libro 4. capite 71. *Illud quod ait; Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum fecit Deus ab initio.* Quo vniuerso capite Sanctus Pater nihil aliud probare annititur, quam quod ei⁹ titulo promittit: *Ostēsio quod homo liber sit, & suæ potestatis ad hoc vt possit eligere bona, vel contraria:* Et concludit: *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam*

operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud. Obserno hic simul perelegans testimonium de bonorum, malorumque operum *Meritis.*

S. Clemens Alexandr. libro 1. stromat. *Quoniam libera electio, & appetitio peccata primum inchoat, iure infliguntur supplicia.* Et infra: *Quæ cum ita sint, & liberari ab ignoratione, & à mala, & delectabili electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasijs, & visis, situm est in nostra potestate.*

S. Athanasius oratione contra idola, circa principium. *Anima libera est, & sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Et infra: *Quæ cum liberum sui ius, arbitriumque intuetur, sentit se in vtramque partem corporeis membris vti posse tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea verò quæ sunt, bona appello, quæ non sunt, mala.*

S. Basilius in explicat. psalm. 61. *Non licebit tibi dicere in die iudicij, non noueram bonū. Proferentur tibi propriæ statera, sufficientem boni & mali discretionem habentes.* Et in oratione de libero arbit. *Nam quod in homine situm est liberum arbitrium, in eligendo, & non eligendo situm est.*

S. Gregorius Nyssenus lib. 7. de philos. ca. 1. *Concupiscere, & non concupiscere, mentiri*

& non

poterant parêre, si vellent.

S. Hilarius in comment. psalm. 2. *Vnicuiq; nostrum libertatem vitæ sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.*

S. Epiphanius hæresi 16. quæ est Pharisæorum: *Per id quod peccare quisquam possit, & nō peccet, & per id quod possit non peccare, peccet tamen, hoc, propter peccata, pœnam per vindictam pendente, illo propter benefacta laudem reportante, vtriusque constituta est differētia.* Et infra: *Itaq; manifestum, euidens, & indubium est, vnicuique liberum arbitrium concessū à Deo, qui per se ipsum dixerit; si volueritis, & si nolueritis, vt penes hominem sit benefacere, vel prauè operari.*

S. Chrysostomus hom. 22. in Genesin. *Nonne manifestum est sua quemuis voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & naturæ nostræ prauitas insita esset, neque illos puniri, neq; istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra volūtate totum post gratiam Dei relictū est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & benè operantibus retributiones.*

B. Macharius Aegyptius homil. 15. *Caeterū vt semel & omninò resonet, & permanet delectus, & arbitrij libertas, quam primitùs homini dedit Deus, ea propter dispensatione sua res administrātur, & corporum solutio fit, vt in voluntate hominis situm sit, ad bonum, vel malum conuerti.*

S. Cyrillus Alexandr. lib. 2. in Iohan. cap. 34. *Liberum arbitrium hominis his verbis ostendit,* N. B.

nisi de proprio seruiamus, id est, de libero voluntatis arbitrio? Et epist. 8. ad eundem: *Agnoui bonum, & feci malum, cùm aquè mihi liberum esset bonum facere.*

S. Innocentius Papa in rescripto ad Concilium Mileuitanum: *Liberum arbitrium cùm nasceremur, accepimus.*

B. Cælestinus Papa epistola ad Gallos, ca. 13. *Auxilio, & munere Dei liberum arbitrium nō tollitur, sed liberatur; vt de tenebroso lucidū, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum.*

B. Prosper lib. 1. de vocatione Gent. cap. 3. *Nec quia spiritu Dei agitur, ideò se putet liberum arbitrium non habere, quod nec tunc perdidit, quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.*

S. Fulgentius libr. de Incarn. & grat. Christi cap. 20. *Gratia Dei humanum non aufertur, sed sanatur arbitrium.*

S. Augustinus, qui in hac materia copiosissimus est, libro de quant. animæ, capite 36. sic ait: *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, vsque adeò cæci sunt, vt ne ista ipsa quidem vana, atq; sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* Et lib. de grat. & lib. arbit. *Sunt*, inquit, *quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium.* Et libro 4. aduersus Iulianum capite 8.

Multò

Pontificij scriptores; Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arbitrio.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS adeò abhorruit ab hac doctrinâ, vt contradictorio titulo ipsam insigniuerit, & *liberum in seruum mutarit arbitrium*; integro edito libello de *Seruo arbitrio*. In suorũ articulorum assertione, art. 36. ita ait: *In cæteris articulis de Papatu, de Concilijs, de Indulgentijs, alijsque non necessarijs nugis ferenda est leuitas, & stultitia Papæ, & suorum, sed in hoc articulo de seruitute Arbitrij, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendũ, ac flendũ est, miseros sic insanire*. Ibidem. *Liberum arbitrium est figmentum in rebus, & titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam cogitare boni, vel mali, sed omnia de necessitate absoluta eueniunt. Quod & Poeta voluit, quando dixit: certa stant omnia lege.* Et infra. *Non est dubium, Satana Magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium.*

Idem cantillat Philipp. Melanch. in locis suis commun. *Vsurpata est*, inquit, *vox liberi arbitrij à diuinis literis, à sensu, & iudicio spiritus alienissima.* Item. *Quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessariò iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij libertas. Omnia necessariò euenire scripturæ docent. Et si videatur tibi esse in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hic imperandum est.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Eadem illa eſt,& quoad rem, & quoad nomen liberi arbitrij, quæ paulò ante Lutheranorum. Caluinus lib.2. inſtit. cap. 2. cui titulum fecit: *Hominem arbitrij libertate nunc eſſe ſpoliatum, & miseræ ſeruituti addictum*, §.4. *Semper*, inquit, *apud Latinos nomen liberi arbitrij extitit. Græcos verè non puduit multò arrogantius vſurpare vocabulum, ſiquidem* ἀὐτεξούσιον *dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet*: Et §. 8. *Magno cenſeo Eccleſiæ bono futurum, ſi aboleatur, neque ipſe vſurpare velim, & alios ſi me conſulant, abſtinere optarem.* Quod ad rem attinet, ſic loquitur §.5. *Porrò quod libertate abdicatam voluntatem dico, neceſſitate in malum trahi vel duci, mirum eſt, ſi cui videatur aſpera locutio.* Quo loco vides non ſolùm omnem poteſtatem ad bonum ab homine tolli, ſed etiam ad malum neceſſitatis illi laqueum inijci. §. 25. *Nec vlla in ipſo ineſt facultas mouendi ſe ad bonum, non magis ſcilicet quam in metallis & lapidibus ad eſſentiæ ſuæ perfectionem inclinans affectio.* Et §.26. ita concludit. *Quod ſi totus homo peccati imperio ſubiacet, ipſam certè voluntatem, quæ præcipua eſt eius ſedes, arctiſſimis vinculis conſtringi neceſſe eſt.* Et cap. 3. §. 2. *In corpore quamlibet morbido vigor vitæ ſupereſt, anima verò iſto exitiali gurgite immerſa non ex vitijs modo laborat, ſed omni bono prorſus vacua eſt.*]

Viden' authore Caluino liberum arbitrium hominis, vti naſcitur, ad bonum non eſſe

ægrum, & infirmum, ſed prorſus emortuum & non amplius liberũ, ſed peccandi neceſſitate factum ſeruum. Vt ait §.7. *ſic homo eſt* ἐθελόδουλος, *vt vincta teneatur peccati cõpedibus eius voluntas*. Atque hic Lutheri liber *de ſeruo arbitrio*, præ tot ſinuoſis, quæ congeſſit, voluminibus, ſolus meruit apud Caluiniſtas in Palatinatu Neoſtadij typis excudi, quo nomine ſibi omnium maximè hanc doctrinã placere, & approbari ſignificarunt.

An verò hæc Caluini traditio cum SS. Patrum ſentẽtia conſpiret, ex his, & ex proprio Authoris teſtimonio videas. lib. 2. inſtit. c. 2. §.8. *Porrò tametſi Græci præ alijs; atq; inter eos ſingulariter Chryſoſt: in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt; Veteres tamen omnes, excepto Auguſtino*(Quem tamen paulò poſt, ſui immemor æquè miſerè, atque reliquos flagellat) *in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur vt certi ferè nihil ex eorum ſcriptis referre liceat*. Ecce veteres omnes.

ANTIQVA; ET DAMNATA à primitiua Eccleſia

HAERESIS.

HAERESIS fuit Origenis, Adamũ perdidiſſe imaginem Dei, ad quã creatus fuerat, vt teſtatur S. Epiphan. hæreſi 64. Idẽ in hac materia totidem verbis docet Caluinus lib. 2. cap. 1. §. 5. *Per peccatum primi hominis obliterata eſt cœleſtis imago.*

LOCVS II

De Cooperatione liberi Arbitrij cum gratia.

DOGMA CATHOLICVM.

Hominem diuinæ vocationi, & excitanti gratiæ voluntate pedissequâ liberè, & actiuè cooperari.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

S. Irenæus lib. 4. cap. 72. *Non tantùm in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium homini seruauit Dominus, dicens: secundum fidem tuam fiat tibi, propriam fidem hominis ostendens, quoniã suam habet sententiam. Et propterea is qui credit ei, habet vitam æternam, & qui non credit filio, ira Dei manet super eum.*

S. Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. 2. *Vides quia vbiq; domini virtus studijs cooperatur humanis.*

S. Chrysostomus hom. 19. in Genesin de iustificatione differens: *Necessitatem non imponit, sed congruis remedijs appositis totum in ægroti sententia iacere permittit.* Et idem hom. 11. in Ioh. *Anima sui iuris vim in se habet operãdi, neq; vlla in re, Deo nisi velit, obtemperat.*

S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. ca. 12. *Multis qui iam iudicio rationis vtuntur, ideò liberum est discedere, vt nõ discessisse sit premiũ, & vt, quod non potest, nisi cooperante Dei spiritu fieri, eorum meritis deputetur, quorũ id potuit volun-*

voluntate non fieri. Idem in eodē li. c 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationib' principaliter praeeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo, sed etiam volūtas hominis subiungitur ei atq; coniungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habēs mutabilitate, si deficit, de gratia opitulatione, si proficit. Quae opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur: Et quod à multis refutatur, ipsorū est nequitiae: Quod aūt à multis suscipitur, & gratiae est diuinae, & voluntatis humanae.*

S. Augustinus lib. 2. cont. duas epist. Pelagianor. cap. 8. *Homo praeparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tāgit cor.* Et infra. *Quāuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possimus aperire, tamen nos aperimus illius adiutorio, & opere nostro. Nam quid est praeparare cor, & os aperire, nisi voluntatē praeparare.*

Idem S. August. tractatu 72. in Ioh. *Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur eius fides ad iustitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum, est opus Christi: Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Et infra: *Operanti in se Christo cooperatur homo salutem aeternam, ac iustificationem suam.*

Idem ſerm.15. de verbis Apoſtoli circa med. *Videtis quia nec ipſa conuerſio eſt ſine adiutorio Dei.*Et infra. *Totum ex Deo, non tamen quaſi dormientes,non quaſi vt non conemur,non quaſi vt non velimus.Sine voluntate tua non erit in te iuſtitia Dei,qui fecit te,ſine te, non te inſtificat ſine te.*

Idem lib.de ſpiritu & litera ad Marcellinam cap.34. *Conſentire vocationi,aut non conſentire,propria voluntatis eſt.*

Et epiſt.106. *Proinde in iјs qui per electionē gratiæ ſalui fiunt,adiutor Deus operatur & velle, & operari.*

Et lib. 2.de peccat. meritis cap. 5. *Non ideò de hac re ſolis votis agendum eſt, vt non ſubinferatur ad bene viuendum noſtra efficacia voluntatis. Adiutor enim Deus dicitur; nec adiuuari poteſt,niſi qui ſponte aliquid conatur.*

Et lib.de prædeſt. Sanctor. cap.3. *Vtrumq; noſtrum eſt velle ſcil. Credere, & Amare propter arbitrium voluntatis,& vtrumque datum eſt per ſpiritum fidei & caritatis.* Et ibid. cap. 5. *Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.*

Li.1.ad Simplicianum quæſt.2.*Vt velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando: noſtrum ſequendo.*

Et li.de nat.& grat.cap. 32. de Iuſtificatione loquens:*Vbi quidem,* inquit, *operamur & nos,ſed illo operante cooperamur, quia in miſericordia eius præuenit nos.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

Declarat praeterea Synodus sess. 6.ca.5.*ipsius iustificatiõis exordiũ in adultis à Dei per Christum* IESVM *praeueniente gratia sumendum esse, h.e.ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantẽ, atq; adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suã ipsorum iustificationẽ, eidem gratiae liberè assentiendo, & cooperando disponãtur, ita vt tangente Deo cor hominis, per Spiritus S. illuminationẽ, neq; homo ipse nihil omninò non agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiã coram illo libera sua voluntate possit.* Huius decreti extat Canon IV.

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atq; vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neq; posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereq; passiuè se habere; anathema sit.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS in libro qui scribitur Operationes in Psalmos: *Error est,* inquit, *quod liberum arbitrium habeat aliquam Captiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud quod credere, sperare, diligere iam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quaedam continua purgatio,*

voluerit, in bonum mutatur, & bonus qui per ignauiam excidit, & fit malus, quia liberi arbitrij esse naturam nostram fecit Dominus, nec imponit necessitatem, sed congruis remedijs appositis totum iacere in ægrotantis sententia sinit. Item sicut nisi adiuti, nihil vnquam possumus recte agere: ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum acquirere fauorem. Dixerat autem prius, vt non totum sit diuini auxilij, simul nos aliquid afferre oportet. Adeoq́; verbum hoc illi familiare est: Afferamus quod est nostrum, reliqua Deus supplebit. Cui consentaneum quod ait Hieronymus: Nostrum est incipere, Dei autem perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Vides certè ijs sententijs homini plus quā par erat ad virtutis studium illos esse largitos. Et mox: *Certè quas retulimus sententias, esse falsissimas, paulò post constabit.*

EN claris intonat verbis, se SS. Patrum doctrinæ reluctari, & obstrepere, quid exspectas amplius; textumq́ue modò citatum qui cohæret, ita concludit ibid: *Nimis ergò Philosophicè hac de re loquuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos.*

LOCVS III.

De Operum meritis.

DOGMA CATHOLICVM.

Hominem operibus suis nō minùs bonis vitā, & salutē, quā malis mortem, & damnationē mereri æternā.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

S. Iustinus in Apolog.2.ante med. *Homines qui dignos se Dei voluntate, & consilio, operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos, sic vt ab omni interitu, perterbationeq; sint liberi.*

S. Irenæus lib.4. aduersus hæreses cap. 72. *Preciosam arbitremur coronam, quæ per agonē nobis acquiritur, sed non vltro coalitam. & quantò per agonem nobis aduenit, tātò est pretiosior.*

S. Basilius lib, de Spiritu S. cap.24. *Homo ex operibus iustitiæ saluatur.* Et orat. super princip. Prouerb. *Omnes qui vitam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparātes.* Et oratione ad Diuites: *Opera ostende, & exige retributionem.*

S. Cyprianus lib. de simplic. Prælator, vel de vnit. Eccl. *Iustitia op⁹ est, vt promereri quis possit Deum, præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.* Et in serm. de Eleemos. extremo: *Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes, dies nos vel reditionis, vel persecutionis inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit: in persecutione purpuream pro passione geminabit.* Item ibid. De eo qui bene operatur: *Deum,* inquit, *computat debitorem.*

S. Chrysostomus homil, 4. de Lazaro circa med. *Si*

med. *Si iustus est Deus, & his, & illis reddet pro meritis. Quod si & his, & illis rependet pro meritis; hîc verò nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliud, in quo congruens præmium horum vterq; ferat.*

S.Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptism. extrema: *Crede resurrectionem, iudicium, mercedem ad iustam Dei lancem exigendam.*

S.Gregorius Nyss. orat. 1. de amandis pauperibus: *Denique pro suis quemq; meritis ornatum cerno: illi qui boni benigniq; fuerint, summa & perpetua requies tribuitur in regno cœlesti; inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idq; sempiternum.*

S.Hilarius, Can. 5. in Matth. *Regnum Dei vitæ nostræ stipendijs quæramus. Et hæc rectè perfecteq; viuentium merces est, vt in nouam, cœlestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, & corruptio terrena cœlestique incorruptione mutetur.* Et Canon. 6. *De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio.*

S.Ambrosius lib. 1. de officijs cap. 15. *Nonne euidens est meritorum, aut præmia, aut supplicia post mortem manere?*

S.Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianũ prope finem: *Denarius quasi indulgentia veri principis omnes per baptismum emittit de carcere: iam nostri laboris est, pro diuersitate virtutum diuersa nobis præmia præparare.*

S.Ce-

quod iussisti. Et tu hoc fecisti, qui laborantes iuuisti.

S. Fulgentius in prologo librorum ad Monimum: *Nam & se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

SYNODVS Tridentina sess. 6. c. 16. *Atque ideò bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum* IESVM *misericorditer promissa, & tāquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

Cuius decreti canon XXVI. ita habet.

Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare, & sperare æternam retributionem à Deo per ipsius misericordiam, & IESV *Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint; anathema sit.*

Et Canon XXXI.

Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

Et Canon XXXII.

Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, Anathema sit.

SEN-

SENTENTIA LVTHERANORVM.

DOCTRINAM de Meritis Lutherus prorsus exsibilat, neque quicquã prodesse ait vel sibi, vel alijs *Sanctorũ merita*. Si tamẽ est aliquod meritũ, hoc non esse bonorum operũ, sed solius fidei.

IN exposit. Euãng. Luc. 16. Dominica 9. à festo S. Trin. cõc. 1. *D. Petri*, inquit, *meritã nè asse quidem redemerim, quomodo*: *n. mihi auxiliarentur, quũ neq; sibi ipsi tulerit opem? quicquid enim habet, id illi, per fidem in Christum impertitũ est: Iã si sibi ipsi opitulari nequit, quomodò pro me quicquam facturus est?* Ibid. sibi obijcit: *Affirmas tu non esse facienda bona opera, æternæ vitæ causa? Ecce hic aliter scriptum est. Quo nos ergò vertemus?* Resp. *Pleraque in scriptura sentẽtiæ sũt passim, quæ de meritis nostris sonant, vt iustitiæ Dei bonis operibus satisfaciamus. Ibi verò tibi caueas ab eo fermento.* Et Conc. 2. *Congregate vobis Thesauros in cœlis: Hoc dicemus quod ij qui fidem nõ nouerũt, æquè de mercede loquuntur ac cogitant, atq; de operibus. Nam hæc humano se more habere autumant, quod suis operibus cœlũ emereantur. Quæ somnia sũt, & vanæ cogitationes, &c*: Et in exposit. Euãgelij in die Philippi & Iacobi Apostolorũ: *Hinc condiscere debemus non ex meritis nostris saluos fieri, sed per spiritum Christi*: Quasi ille nõ sit in suis fidelibus meritorum & bonorum operũ author, atque effector. Et operatione in psal. 12. *Nõ hic merita digni, cõdigni, congrui oportet somniare, sicut hoc verbũ reddere*

reddere seu retribuere accipimus. Et ibid. *Proinde retribuere potiùs amißionẽ meritorũ; quã acquisitionẽ respicit: &c. Nã & illud Apostoli; Repósita est mihi corona iustitiæ, quã reddet mihi in illũ diẽ iustus Iudex, potius referam ad Aduersarios pertinere, quam ad sua merita.* Mirabilis interpres!

Philippus Mel. in Confess. Aug. & eius Apolog. art. 20. & in locis comm. tit. de bonis operibus: *Etsi,* inquit, *bona opera nõ merentur remißionẽ peccatorũ, & hæreditatẽ vitæ æternã, tamen merentur alia præmia corporalia, & spiritualia in hac vita, & futura:* quæ tamen ipse non explicat. Nescit quid dicat. Et tamen idẽ blaterant Ioã. Brentius in Confess. VVirtenberg. cap. de bonis operibus, & Mar. Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ad finem sess. 6. & alij passim.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib. 3. Instit. c. 15. § 2. *Primũ de Meriti nomine id mihi præfari necesse est: quicunq; primus illud operibus humanis ad Dei iudiciũ cõparatis aptauit, eũ fidei sinceritati pessimè consuluisse. Quorsum enim obsecrò opus fuit inuehi nomen* MERITI*? Quantum autem ipsum offensionis in se contineat, magno cũ orbis detrimento patet.* Et vt omisso nomine rem potius cernamus, § 3. *Quid promereantur omnia opera nostra scriptura ostendit, quum Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditiæ sint plena.* Et § 4. *Porro scripturæ doctrina est, aspersa esse perpetuò sordibus multis*

bona

bona nostra opera, quibus merito Deus offendatur, ac nobis succenseat, tantum abest vt vel cōciliare illū nobis queant, vel eius nobis beneficētiam prouocare.

Hæc est Caluino causa, cur bona opera nihil apud Deum promereantur, quia etiam iustorum, & Sanctorum Dei opera optima, & pijssima, sunt peccata, sordes, inquinamenta, ac proinde damnabilia; mortis æternę meritoria. Sic enim ait lib. 3. cap. 12. § 4. *Omnia hominum opera nihil sunt nisi inquinamenta, & sordes, & quæ iustitia vulgò habetur, apud Deū mera est iniquitas.* Et cap. 14. § 9. *Habemus ne vnum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et § 11. *Duobus his fortiter insistendum, nullum vnquam extitisse pij hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile.*

ATQVE hinc Caluinistæ per Palatinatū in suis Ecclesijs vernacula lingua omnes magna voce cantant: Die werck die helffen nimmermehr / sey mogen nit behuten. Item. Mein gute werck die gelten nit; Es ist mit jhn verdorben. Vt autem ipse solus in suo sensu abundet, eādem quam paulo antè in Catholicos, etiam in Lutheranos virgam stringit cap. 15. § 4. *Non enim, à doctis alioqui, ac pijs viris positam distinctionem recipio, meritoria esse bona opera earum quæ nobis in hac vita conferuntur gratiarum; fidei præmium esse æternam salutem.* Hæc enim erat distinctio Philippica & opinio mollium Lutheranorum.

Ibid. § 5. Caluinus insinuat ipse hanc suā doctri-

doctrinam priscis temporibus non fuisse in Ecclesia receptã, vel cognitam. *Hæc*, inquit, *si quo oportuerat ordine tractata digestaq; essent anteactis sæculis, nunquam tantum turbarum, ac dissensionum ortum esset.*

VETERIS ECCLESIAE Hæresis.

IOVINIANI hæresis fuit, vt refert S. Hieronymus lib. 2. cont. Iouin. abstinentiam, ieiunia, cæteraq; omnia bonorum operum exercitia non esse meritoria.

LOCVS IV.

De Ieiunio, & Quadragesima.

VETERIS ECCLESIAE DOGMA CATHOLICVM.

Ieiunia, & Quadragesimã Apostolica traditione diuinitus cõmendatã, & præceptam, semper fidẽ, & locum in Ecclesia obtinuisse.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

S. Ignatius ad Philipp. monet ieiunandã esse à fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conuersationis Domini.

S. Basilius orat. 1. de ieiunio: *Caput omniũ relatorum Dominus noster cum per ieiunium carnem quam pro nobis assumpsit, muniuisset, sic in*

sic in ipsa diaboli insultus sustinuit, quo & nos erudiret, vt per ieiunia vngamus ac exerceamus nos ipsos ad certamina in tentationibus. Et orat. 2. de ieiunio prolixè differit de ieiunio Quadragesimali.

S. Gregorius Nazianz. orat. in S. Lauacrũ: *Christus paulò ante tentationem ieiunauit; nos ante pascha.*

S. Chrysostomus homil. 1. in Genes. *Dominus noster* IESVS *Christus, & ipse quadraginta dierum ieiunio declarato sic (et tamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans, vt per illud armemur*

S. Ambrosius serm. 26. *Vbi est similis cum Christo deuotio, similis est & cum Christo tentatio.* Et serm. 34. *Quadragesimam nobis dominus suo ieiunio consecrauit.* Ibid. *Quisquis Christianus ieiunando non impleuerit Quadragesimam præuaricationis, & contumaciæ reus tenebitur.* Et serm. 37. *Hoc fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exẽplis instrueret, vt ijsdem vestigijs quibus ad fidẽ currimus, ad abstinẽtiã graderemur.*

S. Hieronymus in cap. 58. Esa. *Dominus quadraginta diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solennes ieiuniorum dies relinqueret.* Item ad Marcellam, aduersus errores Montani: *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum tempore nobis congruo ieiunamus.*

S. Epiphanius lib. de Hæres. hæresi 75. aduersus Aërium, qui stata ieiunia contemnebat, asserit: ieiunia ab Ecclesia indici & celebrari solita, ab ipsis Apostolis esse mãdata.

S. Leo,

S. Leo, serm. 6. de Quadrag. *Quod ergò dilectissimi in omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc sollicitius est & deuotius exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunijs impleatur.* Et serm. 9. de Quadrag. *A sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus S. maiora sunt instituta ieiunia, vt per commune consortium crucis Christi, & nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.* Et serm. 11. de Quadrag. *Adest maximũ sacratissimumq́, ieiunium, quod obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denunciat.*

B. Theophilus Alexandrin. libr. 3. Paschali docet semper in Ecclesia fuisse legem abstinentiæ à carnibus in quadragesimâ, & criminis reos esse, qui clam illis vescuntur.

S. Augustinus serm. 62. de Tempore: *Alijs diebus ieiunare remedium est, aut præmium: in Quadragesima non ieiunare peccatum est:* Et in epistola 119. cap. 15. *Quadragesima ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis, & Eliæ; & ex Euangelio; quia totidem diebus Dominus ieiunauit.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM

Eiusdem Sess. 25. decreto de delectu ciborum, Ieiunijs &c. *Insuper hortatur S. Synodus, & per sanctissimum Domini nostri atque*

Saluatoris aduentum obtestatur, vt illa omnia quæ S. Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater & magistra statuit, &c. quibuscunq; fidelibus sedulò commendent, omniq; diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandum carnem conducunt, vt ciborum delectus & ieiunia, &c. Ac quo loco Pontificij, hoc est Christiani Catholici ieiunia, & quadragesimam habeant, vniuersus nouit terrarum orbis.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS nihil pietatis ponit in ieiunio, & abstinentia: quod fiant sine omni merito, & res sint per se adiaphoræ, & vnicuiq; pro beneplacito suo liberæ. Ideoq; in tã frequenti sunt apud Euãgelicos vsu, qui ieiunãt integras noctes, & sæpe etiã interdiu, à prandio vsque ad cęnam. In Resp. ad Ambros. Catharinũ: *Hodie,* inquit, *sic ieiunatur, non vt caro mortificetur, sed quia bonum opus sit, hoc die ieiunasse, vel isto cibo abstinuisse, quo cœlũ mereantur. Quid autem hoc aliud, quam impia facies Antichristi est?* Et lib. de doctrinis hominum vitandis: *Erroneum est, & plenũ mendacijs, quod certis tẽporibus anni, Vigilijs Apostolorum, & aliorũ sanctorum ieiunijs necessitatem imponunt sub graui peccato; tanquam Ecclesia decreto, & mandato. Nam ieiunia quoad dies, & cibos attinet, libera & adiaphora in perpetuum esse debent.*

In expositione epistolæ quæ legitur Domini-

minica 1. à natali, ad Gal. 3. *Ieiuniū nō est vera corporis castigatio, sed vice boni operis temerè assumpta. In summa tu⁹ iste cultus, & religionis studium aliud nihil est, quā olim apud Iudæos erat religio Moloch, atque Baal.*

Philippus Mel. in locis comm. tit. de Ceremonijs Ecclesiæ: *Error est perniciosus ieiunia, & similes ἀπαύστους esse opera, & cultus Dei.*

Nicolaus Hemmingius ad cap. 6. poster. ad Corinth. *Statutum, & ordinarium ieiuniū est, quod certo tempori anni, mensis, aut septimanæ est affixum, quale est apud Papistas Quadragesimale quod vocant ieiuniū, item quatuor tēporū, Apostolorū, &c. in quib⁹ nihil sani, sed mera superstitio, multiplex impietas, & ἐθελοθρησκεία ab Apostolo damnata imperium tenet.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib. 4. Instit. cap. 12. § 19. *Alterum malum huic affine summoperè cauendum est; ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus, ieiunium censeatur. Tertius error non adeò quidem impius, periculosus tamen, tanquam vnum ex præcipuis officijs morosiùs aut rigidiùs exigere, ac immodicis encomijs sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent, quum ieiunauerint. Qua in parte non in totum excusare audeo veteres, quin & superstitionis quadam semina iecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta est.* § 20. *Et tūc passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio, quia & vulgus exi-*

sum ad omnes ecclesias, & Magistratus tam vrbium, quam vicorum mandato. Quandoquidem Deo Opt. Maximo pro immensa sua, & inexhausta misericordia tandem complacuit post tã diuturnum, damnosum, & cruentum ciuile bellum &c. vtriusque partis animos, pactu duodecennalibus inducijs, ex quibus certa deinceps pax speretur exoritura, reconciliare, &c. (oratio est prolixior) *visum est, vt per omnes confœderatas prouincias, in omnibus vrbibus, oppidis, & pagis ad 6. Maij supplicationes habeantur: ijsque dies ieiunijs, & precibus transigatur, ac Deo pro tam immenso beneficio in concludendis his inducijs præstito gratiæ agantur. Requirimus ergò, postulamus, volumus, ac mandamus vt diem hunc supplicationum, & ieiunij maturè publicetis, & promulgeatis.* Datum Hagæ Comitis 22. April. Anno 1609. Atque hic est ieiunij vsus, & mos apud Caluinistas.

ANTIQVA HAERESIS.

INTER Aërianorum hæreses refert S. Epiphanius hær. 75. & S. Augustinus lib. de hæres. cap. 53. quod docuerint non ad præceptũ, & regulam Ecclesiæ, sed pro vnicuiusque libitu ieiunandum esse, ne videamur esse sub lege. Addit Epiphanius eos econtrariò Catholicorum consueuisse diebus Veneris, & in quadragesima, & præcipuè in hebdomada sancta, vesci carnibus.

S. Ambrosius lib. Hexamer. cap. 8. *Vtique non substantialis, sed accidens est malitia.*

S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontē: *Nunquam a me audies malam esse naturam.*

S. Augustinus lib. 7. Confession. ca. 12. *Malum illud quod quærebam, vnde esset non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset.* Et in explicat. psal. 68. *Quæsiui quid esset iniquitas, & non inueni substantiam, sed à summa substantia te Deo detortam in infimam voluntatis peruersionem.*

S. Basilius lib. de virgin. *Naturalis appetitus ad gulositatem, aut scortationem corpus titillat.* Et lib. constitut. Monast. cap. 2. docet oēs carnis affectus esse naturales, & si quando in ijs peccatur, totum esse ex negligentia animæ præsidentis.

S. Chrysostomus homil. 19. ad populū Antioch. non procul à fine. *Et nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiā vincemus, cuius radix habet à natura principium? Concupiscere enim naturale, malè verò concupiscere iam est voluntatis.*

Idem homil. 17. in Matth. *Nō simpliciter dixit qui concupiuerit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, qui concupiscentiam sibi consciuerit, quiq; nullo omninò agēte, quiescenti cogitationū ferā subitò immiserit. Hoc enim iam non natura est, sed propria desidia.* Itē hom. 13. in epist. ad Rom. *Illi affectus peccatum haudquaquā erant, sed illorū immoderatio effrenata hoc efficiebat. Exēpli gratia, vt exempla vnum aliquem illorū affectuum pertractemus*

insint; dum simus in corpore mortis, huius deside-ria peccati, si nullis eorum adhiberemus assen-sum, non esset vnde diceremus, Pater noster qui es in cœlis: demitte nobis debita nostra.

Idem lib. de continentia cap. 7. *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit, quam sanè culpam per lauacrum regenerationis Dei gratia iam fidelibus remisit, sed sub iisdem Me-dici manibus adhuc natura cum suo languore confligit.* Et infra: *Propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam, sanat languores, dan-do continentiam. Illud factum est in bap-tismo confitentibus, hoc fit in agone certanti-bus.*

Et lib. 1. de ciuit. Dei cap. 25. *Illa concupis-centialis inobedientia, quantò magis absque cul-pa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.*

Et lib. 1. contra duas epist. Pelagianor. c. 10. *Nulla ergò damnatio est in iis qui sunt in Chri-sto* IESV. *Non enim damnatur nisi qui concupis-centiæ carnis consentit ad malum.* Et cap. 13. *sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est, vt baptizatus (& hoc, si diligentissimè proficit, & spiritu Dei agi-tur) pia mente confligat: sed hæc etiamsi voca-tur peccatum, non vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scri-ptura manus cuiusque dicitur, quod manus eam fecerit.*

Idem lib. 6. in Iulianum cap. 5. *Omni pecca-to carent iustificati, sed non omni malo.* Et ser. 6. de verbis Apostoli. *Restat ergò cum carne confli-*

eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientia peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum quod mors est animæ, anathema sit.

Ex quibus colligere est Originale peccatū & Concupiscentiam, non esse hominis substantiam, vel eius partem, sed originalis, & acceptæ iustitiæ sanctitatisque amissionē, & priuationem, cum reatu mortis, seu pœnæ, quam Deus antè comminatus erat.

Canone 5. *Si quis per* IESV *Christi D.N. gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit.* Et infra ibid. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hac sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed vtiliter per Christi* IESV *gratiam repugnantibus non valet, quinimò qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc cōcupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiā Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, si quis autem contrariū senserit, anathema sit.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

MATTHIAS Flaccus Illyricus monstrosus

Lutheranus quinq; cōſcripſit de natura peccati Orig. libros quibus hoc vnicè & ex profeſſo tractat, traditq; peccatū Originis ſubſtantiam eſſe, vel de eſſentia hominis.

Tilmannus Heſhuſius Lutheranus in li. de hac ipſa quæſt. cōnſcripto; docet imaginē Dei in homine fuiſſe ſubſtantiam; hanc autem per peccatum fuiſſe prorſus abolitam; atque deſtructam, inq; eius locum diaboli imaginem ſucceſſiſſe. Ex quo ſequitur priorem hominis ſubſtantiam perijſſe, aliamq; in eius locum ſubſtitutam eſſe.

Iogannes VVigandus in propoſitionibus de peccato, propoſitione 119. ſcribit peccatū Originis eſſe rem ream, & naturâ ſuâ dignâ morte æternâ. Facit itaque ex illo ſuppoſitū quoddam.

Martinus Kemnitius in Examine concilij Trident. ſeſſ. 5. dicit peccatū eſſe quicquid repugnat diuinæ legi ſiue ſit defectus, ſiue ſit inclinatio, ſiue ipſa ratio.

His abſurdis erroribus fundamenta præſuppoſuit pater illorum Lutherus. Etenim explicans pſal. 50. ad illa verba: Ecce.n. in iniquitatibus conceptus ſum: *Semen*, inquit, *humanum, id eſt, maſſa ex qua conceptus ſum, tota eſt vitio, & peccato corrupta! Materia ipſa eſt vitiata: Lutum illud ex quo vaſculum hoc fingi capit damnabile eſt*. Et paulò poſt: *Fœtus in vtero antequam naſcimur, & homines eſſe incipimus, peccatum eſt*. Germanicè pſalmi iſtius verſiculū vertit. Auß ſündlichen Samen bin ich gezeuget; ex ſemine peccaminoſo ſeu ma-

teria peccante, *vt medici loquuntur*, cõceptus sum.

Porrò Lutherani peccatum originale & actuale ita confundunt, & inter se permiscẽt, vt alterum ab altero neq; distingui, neque re-aptè seiungi posse videas.

Lutherus in assert. art. art. 3 *Omitto dicere quod originale peccatum vt omnia peccata, ita & incredulitas est.* Idem comment. in 2. cap. Genes. dicit peccatum originale esse *incredulitatem, desperationem*, & alia similia, quæ citra omne dubium peccata actualia sunt.

Philippus Mel. in locis commun. de peccato, editis anno 1522. *Scriptura non vocat hoc originale illud actuale peccatum: Est enim & originale peccatum planè actualis quadam praua cupiditas.*

Et hæc doctrina est Lutheranorũ propria: cõmunis hæc ipsis cum Caluinistis intercedit: Corruptionem naturæ, seu concupiscentiam qualis remanet in homine post iustificationem, verè ac propriè esse peccatum, quod non nisi sola interueniente morte ab illo tollatur: ideoq; hominem quamdiu viuit, eius reum esse, & diuino iudicio obstrictum: fore autem vt credentibus propter solam fidem, qua tantum mysterium capiunt, ad condemnationem non imputetur.

Lutherus in assert. art. 2. *Scio quid hic mihi opposituri sint, scilicet omnia, quæ dicta sunt, probare, non peccatum, sed defectum, seu infirmitatem in nobis relinqui post baptismum.*

Et in-

Et infra: *Verùm quod defectum sic appellant, vt peccatum esse negent, & non culpam, & pœnam tantùm peccati esse velint, admittere non possum.* Et paulò post. *Interim fauor Dei nos suscipit, & sustinet, non imputari ad mortē quod reliquum est peccati in nobis, licet verò peccatū sit, & imputari poßit.* Idem docet ac repetit art. 31. de peccato. Et Phil. in locis comm. tit. de peccato.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib. 2. instit. cap. 1. §. 8. *Tametsi infantes suæ iniquitatis fructus nondum protulerint, habent tamen in se inclusum semen: imò tota eorum natura quoddam est peccati semen; ideò non odiosa & abominabilis Deo esse non potest: Alterum deinde accedit, quod hæc peruersitas nunquam in nobis cessat, sed nouos aßiduè fructus parit, ea scilicet quæ ante descripsimus, opera carnis: non secus atq; incensa fornax flammam, & scintillas efflat, aut scaturigo aquam sine fine egerit?* Et § 9. *Hic tantùm breuiter attingere volui, totum hominem quasi diluuio à capite ad pedes sic fuisse obrutum, vt nulla pars à peccato sit immunis; ac proinde quicquid ab eo procedit, in peccatum imputari.* Et li. 4. cap. 15 §. 10. *Iam perspicuum est quam falsum sit quod docuerunt pridem nonnulli per baptismum solui nos & eximi ab Originali peccato.* Et in Antidoto Concilij Trident. seß. 5. *Manet verè peccatum in nobis; neque per baptismū exstinguitur. sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.*

Petrus

PETRVS Martyr. in com. in cap. 5. Epist. ad Rom. *Quæ supersunt in regeneratis, ad æternam mortem non imputantur, verum quæuis res ex eo iudicari debet, quod est in se ipsa. Quare si quæratur ex nobis; An sit peccatum quod manet in regeneratis; respondebimus esse peccatum.*

QVARE & hunc locum suo concludat suffragio Caluinus, congruenterne doceat sanctis primitiuæ Ecclesiæ patribus, & orthodoxæ ipsorum doctrinæ. lib. 3. Instit. ca. 3. §10. *Neque opus est multum inuestigando laborare, quid hic* VETERES *senserint; quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnaq; diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores si quid de sensu Antiquitatis habere certi volent. Porrò inter illum & nos hoc discriminis videri potest interesse, quod ipse quidem, quum fideles concedat quamdiu in corpore mortali habitant, sic illigatos teneri concupiscentijs, vt non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum, infirmitatis nomine contentus, tunc demum fieri peccatum docet, vbi vel opus, vel consensus ad conceptionem, vel apprehensionem accedit, hoc est, quando primæ eius petitioni cedit voluntas: Nos autem illud ipsum pro peccato habemus.* Et concludit ibid. *Docemus itaq; in sanctis donec mortali corpore exuantur, semper esse peccatum,* (scil. mortale, nullum enim aliud præter hoc Caluinus agnoscit libr. 2. instit. cap. 8. § 58. 59.) *quia in illorum carne residet illa concupiscendi prauitas, quæ cum rectitudine peccat,*

DAMNATA, ET PROFLIGATA à veteri primitiuâ Ecclesiâ

HAERESIS.

PROCLI Hæresis fuit, teste Epiphanio, hæresi 64. peccatum in renatis semper viuere. Concupiscentiam enim verè esse peccatum, nec tolli per baptismum, sed sopiri per fidem. Eandem hæresin docuerunt Messaliani apud Theodoretum libr. 4. de Hæreticis fabulis.

LOCVS VI.

De Iustificatione

DOGMA CATHOLICVM.

Veram, & Catholicam fidem à caritate, & bonis operibus non modo distinctam esse, sed re ipsâ sæpe existere separatam: Neque hominem imputatiuâ, extraneâ, & alienâ iustitiâ, nempe Christi, qua ipse iustus est; Neque etiam fide solâ, sine, & ante caritatem iustificari, id est iustum, licet in se reuera iniustum, ac mortalibus peccatis inquinatum, à Deo pronunciari: Sed iustificari, id est, ex impio, vel non pio, pium, ex non sancto nunc sanctum dici, &

fieri,

fieri, seu factum esse suâ iustitiâ & insitâ sanctitate; quæ in fidei, caritatisque habitu, seu radice, à misericorde Deo, propter solius Christi meritum, & amorem, in corde hominis plantatâ, consistit: Secundum quem iustitię habitum diuinitùs & gratis infusum, homo posteà benè operando iustificatur adhuc, id est, ex iusto & sancto, seu sanctificato fit deinceps iustior, & sanctior, diuinâ comitante & subsequente gratia, suis itẽ operibus, & meritis.

SENTENTIAE ORTHODOXORVM PRIMITIVÆ ECCLESIÆ DOCTORVM.

S. AVGVSTINVS lib. 15. de Trinit. ca. 18. *Ipsam fidem non facit vtilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non prodesse.* Et in Enchiridio cap. 8. *Sine amore fides nihil prodest.*

IDEM S. Pater tract. 10. in Iohan. *Iam credit aliquis in Christo, sed odit Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ, adde huic fidei dilectionem vt fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus: Fides quæ per dilectionem operatur.*

ET serm. 16. de verbis Apostoli: *A fide incipit homo, sed quia & Dæmones credunt, necesse*

est addere spem, & charitatem. Et sermon. 22. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

S. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua ca. 21. *Fides est iustitia fundamentum, quam nulla bona opera pracedunt, & ex qua omnia procedunt.*

S. August. lib. de spiritu & litera cap. 9. *Iustitia Dei non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, dum iustificat impium.*

IDEM in epist. 120. cap. 30. *Ignorantes Dei iustitiam, qua in eius gratiâ iusti sumus, vt ipsa Dei iustitia nos simus, cum iustè viuimus, credentes in eum, qui iustificat impium, non illâ, quâ ipse iustus est, aternâ sua & incommutabili iustitiâ.*

ET lib. 3. cont. duas epist. Pelag. cap. 7. *Non propterea iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est, sed quia homini ex Deo.*

ORIGENES in cap. 4. epist. ad Roman. *Credentibus quidem Christo, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis, fides reputari non potest ad iustitiam.*

S. Ambrosius in comm. ad 4. cap. ad Hebr. *Magna res est fides, & salutaris; & sine hac non est saluari possibile: sed sola fides non sufficit; operari fidem per dilectionem necessarium est, & conuersari dignè Deo.*

S. Chrysostomus hom. 70. in Matth. Ne fideles solâ se fide saluari posse confidant, de poenâ malorum disserit: Atq; infideles ad fidem, fideles verò ad rectè viuendum cohortatur. Et hom. 1. in 1. ad Tim. *Non fide solum*

opus

opus est, sed etiam caritate. Et hom.3. in Ioan. *Nunquid satis est ad vitam æternam in filium credere? minimè.*

S.Prosper lib.1.de vita contemplat cap.19. *Nec opera sine fide, nec fides sine operibus iustificat.*

S. Gregor. Nazianz. orat. in S. Lauacrum: *Fides sine operibus mortua est.*

S.Augustinus quæstion.12 ex V.& N. Test. *Per misericordiæ opera cum fide, & charitate, non per* IESVM *solum obtinetur remissio peccatorum.*

*IDEM lib.de prædest. Sanctorum cap.7. *Ex fide ideò dicit Apostolus iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur.* * *Ad obiect. ex S. Paulo.*

ET libr.de grat. & lib. arbit. *Homines non intelligentes, quod ait ipse Apostolus Paulus: Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi malè viuat, & bona opera nō habeat. Quod absit vt sentiret vas electionis.*

ITEM præfat. in Psalm. 31. *Quomodo ergò iustificatur homo ex fide sine operibus? respondet ipse Apostolus: Propter hoc dixi tibi, ô homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operūm tuorum te accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus tuis* ANTE FIDEM, *noueris quia peccatorem te fides inuenit.* Et infra ibid. sic ait: *Debebat tibi Deus vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam. Iam fides illa assumpta*

 spe,

spe, & dilectione incipit bene operari. Et certè solam extollere fidem, & opera bona deprimere, est ab vna parte Deum magnificare, & ab altera blasphemare, quia inquit idem S. Augustinus libr. de grat. & lib. arbit. cap. 7, *Ipsa bona opera nobis ex eodem Deo sunt, à quo nobis fides est, & dilectio.*

S. Augustinus Psalm. 118. concione 26. explicãs illud: Feci iudicium & iustitiam: *Quis, inquit, fecit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium, hoc est per gratiam ex impio facit iustum. Facit ergo iustitiam, id est, opus iustitiæ, qui habet in se opus gratiæ.*

IDEM lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 33. *Gratia Dei iustificamur, hoc est iusti efficimur.*

ITEM lib. de spiritu & lit. cap. 26. *Quid est aliud iustificati, quam iusti facti?*

ET epistola 105. *Iusti enim facti sunt, cum iustificati sunt.*

ET epistola 106. *Antequàm gratia iustificetur, id est iustus efficiatur, impius, quid est, nisi impius?*

DENIQVE epistola 120. cap. 20. *Credens in eum, qui iustificat impium, id est, ex impio facit pium.*

S. Augustinus in epist. 85. ad Consentium. *Quid est aliud iustitia cum in nobis est, vel qualibet virtus, qua rectè sapienterq́ viuitur, quam interioris hominis pulchritudo.*

ET in Psalm. 118. Concione 26. *Iustitia virtus est animi magna, præcipueq́ laudabilis, quã fecit in nobis qui iustificat impium, &c.* E. non est foris, sed intus.

ET Psalm. 93. *Quis enim in nobis fecit iustitiam, nisi qui nos iustificauit? nos ergo impij ille iustificator, quando & ipsam iustitiam ipse in nobis fecit, qua illi placeamus.*

PORRO idem S. Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli: *Iustificati sumus, sed ipsa iustitia, cum proficimus, crescit.*

ET libr. 3. cont. duas epist. Pelagian. cap. 2. *Iustitia secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas Angelorum, quam qui nondum habebat, & propter illam, inerat, perfectum, & propter istam quæ adhuc deerat imperfectum se esse dicebat. Sed plane minor ista iustitia facit meritum, maior illa fit præmium, vnde qui istam non sequitur, illam non assequitur.*

ITEM tractatu 77. in Iohan. *Restat vt intelligamus Spiritum S. habere, qui diligit, & habendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo plus diligat.*

S. Prosper. in respons. ad cap. 6. Gallor. *Iustificatus homo, id est, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum, vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, & per industriam liberi augetur arbitrij, nunquam remoto Dei adiutorio.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

SYNODVS Trid. ca. 7. sess. 6. De iustificatione impij. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico fit amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ.*

Huius iustificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna, efficiens verò misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & vngens spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: Meritoria autem *dilectissimus vnigenitus suus* D. N. I. *Christus &c. Instrumentalis item* Sacramentum *Baptismi, quod est sacramentum fidei &c. Demùm vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus.*

ET infra ibid. *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque vnit perfectè in Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.*

CAP. 8. *Cum verò Apostolus dicit iustificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu accipienda sunt, quem perpetuus* Ecclesiæ

Catholica consensus tenuit, & expressit, vt scilicet ideò per fidem iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis &c. *Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* Hoc decretum exprimunt Canones sequentes iuxta initialis dogmatis Ordinem.

Canon XXVIII.

Si quis dixerit amissam per peccatum gratiam, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, &c. anathema sit.

Canon XXIV.

Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conseruari, atq; etiam augeri coram Deo per bona opera, sed ipsa opera fructus solummodò, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem

hensus & inhabitans Christus, est iustitia Christiana; propter quam nos Deus reputat iustos.

Hoc clarius exprimunt Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. col. 238. *Iustitia quam Deus impio imputat, non sunt qualitates; aut virtutes nostræ, neque ipsa Dei essentia, sed diuina, & substantialis iustitia, seu totum opus quod Christus præstitit.*

SIMILITER loquūtur in colloquio Alteburgensi Lutherani Saxonici: *Inter nos nulla dubitatio est, quin sacra scriptura iustitiam Christi, per quam nos coram Deo iustificamur, & qua iusti sumus, passionem, & obedientiam Christi claris, & perspicuis verbis appellet.* Et ibid. *Obedientia, & meritum Christi est res ipsa, quæ nobis imputatur, est iustitia ipsa qua nobis donatur, atq; adscribitur.* Concludūt ibid. *Opera bona, & nouam obedientiam non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinere.* Item: *Adeò non esse necessaria opera bona, vt etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa.* Denique precari oportere, *vt in fide sine omnibus operibus bonis vsque in finem perseueremus.*

ET Luth. lib. de captiuit. Babylon. cap. de Euch. *Non alia via potest homo cum Deo conuenire, aut agere quam per fidem, opera ille nihil curat.* Ibid. *Tam diues est Christianus vt nō possit perire etiamsi velit, quantumcunque malè viuat, nisi nolit credere.* In exposit. epistolæ in die dominico à natali Christi proximo, ex ca. 3. Gal. *Proinde ad iustificationem nihil aliud quam audire, & credere Iesum Christum nostrum seruatorem, requiritur.* Hoc per totam tractat concionem.

SEN-

SENTENTIA CALVINI-
STARVM.

CALVINVS in Antidoto Concilij Trid. ad can. 11. seſſ. 6. *Sola fides, inquit, eſt quæ iuſtificat, fides tamen quæ iuſtificat non eſt ſola: ſicut calor ſolis ſolus eſt, qui terram calefacit, ipſe tamen calor non eſt ſolus in ſole,* * *ſed cum ſplendore.* Et infra: *vim iuſtificandi, vt facultatem, fidei in ſolidum vindicamus.*

* *Mirabilis Caluini Philoſophia, qui ſicut ſplendoris, ita etiam caloris in ſole ponit qualitatē.*

BEZA in comm. ad cap. 13. epiſt. 1. Cor. v. 2. *Illa fides electorum propria, qua vna Chriſtum ſeruatorem apprehendimus, & qua propterea iuſtificari dicimur, cogitatione quidem à charitate ſecerni poteſt, re ipſa verò nunquam.* Et ſubijcit ibid. *Vnde efficitur fidem illam à charitate nō poſſe magis diuelli, quam lucem ab igne.* Vbi obſeruandum eſt Caluiniſtas non habere vnam, & ſimplicem fidem; ſed duplicem, ſæpe triplicem, & quadruplicem; imò prout fallere volunt, multiplicem.

CALVINVS lib. 3. Inſtit. cap. 11. § 23. *Vides non in nobis, ſed in Chriſto eſſe iuſtitiam noſtrā* & cap. 16. § 1. *Quare ergo fide iuſtificamur, quia fide apprehendimus Chriſti iuſtitiam, qua vna Deo recōciliamur.* Et in Antidoto Concil, ſeſſ. 6. ad cap. 8. *Falſum eſſe contendo, vllam iuſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideat.*

PORRO li. 3. c. 11. § 19. *Dicimus hominē* SOLA *fide iuſtificari.* Et infra: *An non ſatis ſolidè ſoli fidei tribuit omnia, qui operibus adimit?* In eodem cap. § 2. Nos iuſtificationem ſimpliciter interpretamur acceptionem, quâ nos Deus

in gratiam receptos pro iustis habet: Eamque in peccatorum remissione, ac iustitiæ Christi imputatione positam esse dicimus. Ideoque ibid. *Iustificabitur ille fide, qui operum iustitia exclusus Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus, in Dei conspectu non vt peccator, sed tanquam iustus apparet.* Et §.3. *Cum itaque nos Christi intercessione iustificet Deus, non propriæ innocentiæ approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur, qui in nobis non sumus.*

QVOD si intelligere placet, consentiatne Veteribus SS. Patribus Caluinus, audi de se, ipsum. ibid. §.19. *Quid sibi volunt istæ loquutiones: sine lege manifestatam esse iustitiam: iustificari gratis hominem, & sine operibus legis? Hic ingeniosum subterfugiũ habent, quod tametsi non excogitarunt ipsi, sed ab Origine, & quibusdam* VETERVM *sinmpserunt, ineptissimum tamen est. Opera legis cæremonialia excludi garriunt, non moralia.*

DENIQVE tantum abest vt iustus, & sanctę vitæ homo, benè agendo euadat apud Caluinum iustior, vt quo plura pręstat opera bona, eò plura coaceruat peccata, tãtoq; plura meretur flagra lib.3.ca.14. § 9. *Habemus ne vnum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et § 11. *quod non sit damnabile.* Caueamus itaque, vt supra aiebat Lutherus, à bonis operibus. Et Cal. cap. 11. § 13. in eodem lib. *Valeat igitur eorum somnium, qui iustitiam, ex fide & operibus conflatam comminiscuntur.*

Atq;

Atque in his ibid § 15. *nec Augustini quidem sententia, vel saltē loquendi ratio per omnia recipiēda est. Tametsi enim egregiè hominem omni iustitiæ laude spoliat, ac totā Dei gratiæ transcribit, gratiā tamē ad sanctificationem refert; qua in vitæ nouitatem per spiritū regeneramur;*

ANTIQVA, ET A PRIMITIVA Ecclesia refutata

HAERESIS.

EVNOMINIANI docebant non posse homini vlla peccata nocere, modò fidem habeat, vt testatur S. August. lib. de Hęres. ca. 54. Et lib. de fide, & operibus c. 14. dicit hanc hæresin Apostolorum tempore esse ortā ex malè intellecto S. Paulo, qui dicit fide iustificari hominem, & non operibus: & propterea cōtra hāc hæresin stylum præcipuè direxisse SS. Apostolos: Petrum, Iohannem, Iacobum, & Iudam. Similis erat Begardorum error, & hęresis, iustos non teneri ad obseruantiam mādatorum Dei, sed tantum ad fidem: quos damnauit Concilium Viennense.

LOCVS VII.

De Prædestinatione.

DOGMA CATHOLICVM.

Arcanum Dei prædestinationis de singulis indiuiduis decretū, hominibus absconditum esse, atq; ignotum, ideoq; neminem fidelium suæ prædestinationis, vel salutis æternæ in hac vitâ, nisi reuelatione extraordinariâ, certum esse, vel fieri.

SAN-

SANCTORVM PATRVM PRIMITIVÆ ECCLESIÆ DOCTORVM, SENTENTIÆ.

S. CHRYSOSTOMVS hom.11.in epist. ad Philipp. *Si Paulus qui tanta passus est, nondum de resurrectione illa* (scil. ad gloriam) *securus fuit, quid sanè nos dicemus?*

S. Hieronymus libr. 2. aduers. Pelag. *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem, quãdiu enim viuimus, in certamine sumus; quamdiù in certamine, nulla est certa victoria.*

S Augustinus libr. de corrept. & grat. cap. 15. *Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus, charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Et cap. 16. *Quantum ad nos pertinet, prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus.* Et cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur in numero prædestinatorum se esse præsumat?*

IDEM lib. de bono perseuerantiæ, cap. 13. *Ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisi cum de hoc sæculo exierit. In hac autem vita humana, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat.*

ITEM libr. 11. de Ciuit. Dei cap. 12. *Licet sancti de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuque iustitia perseueraturum vsque in finem sciat,*

sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus qui de hac re iusto, latentiq́; iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit.

S.Prosper lib.2.de vocat.gent.cap.vltim. *In remotissimo ab humana cognitione secreto præfinitio huius electionis abscondita est. Et de nullo ante ipsius finem prænunciari potest, quod in electorum gloria sit futurus, vt perseuerantem humilitatem vtilis metus seruet, & qui stat, videat ne cadat.*

S.Gregorius lib.16.in 1.Reg. *Quia iudicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, vnde veniat, & quò vadat homo nescit, quia sciri non potest an quis in gratia, quam recipit, perseuerare in perpetuum debeat.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

DEFINIT Concil. Trident.sess.6.cap.12. *Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio, vsq; adeo præsumere debet, vt certò statuat se omninò esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset, quòd iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certum sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali reuelatione scire non potest, quos Deus sibi elegerit.* Qua de re exstat.

Canon. XV.

Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

SEN-

SENTENTIA LVTHERANORVM.

5 Lutherus in exposit. Epist. quæ legitur Dominica à natali ex 3. ad Gal. *Haud quaquã satis est ad hoc vt Christianus iure censearis credidisse vera qua de Christo prædicantur, sed simul nihil addubitare oportet, te ex eorum numero esse, quibus omnia Christi beneficia donata atque exhibita sunt. Id qui credit eum omninò fateri oportet, se san ctum, pium, iustum, Dei filium, certumque salutis esse*. Et in operat. in Psalm. 5. Ad versiculum, In pace in id ipsum dormiam, & requiescam. *Securitas spiritualis tanta est*, inquit, *vt in medijs etiam mundi periculis, in morte, in inferno secura sit*. Et paulò post. *Quapropter sunt vehementer detestandi, & damnandi quidam Theologi, vt vocant, doctores, qui nos docent dubios, & incertos esse debere, an simus in gratia Dei, ac per hoc an sit Deus noster, & nos populus eius, & inuenerũt nobis distinctionibus suis quod sacramenta, quo ad authoritatem, & virtutem Dei operantis in illis, certum effectum gratiæ operantur, sed quo ad suscipientem, incertum operantur, & hanc dubitationem asserunt esse piam. O pestilentes! si enim hoc verum est, & quilibet Christianus ita debet piè dubitare, iam perijt articulus ille fidei certissimus: Credo Ecclesiam sanctam, sanctorum communionem, quia de me * non debeo asserere quod sum sanctus, nec tu de te, nec vllus de se, ergo omnes sum* incerti. Sed facessant stultissima, & impijssima ista hæreses.*

Lutherus qui aliàs docet omnia omniũ hominũ etiã iustorũ bona opera peccata esse nunc de se audet asserere quod sanctus sit & singuli alij de se ipsis hoc asserere, ipso docẽte, possunt.

F Et hæc

Et hæc eſt aperta omnium & Lutheranorum, & Caluiniſtarum profeſſio, & fides, ſe tã certò ſcire ſe ad vitã prędeſtinatos eſſe & ſalute ſua in æternum excidere nõ poſſe, atq; credunt Deum eſſe omnipotentem, Creatorẽ cœli, & terræ: quanquam Lutherani dicant cũ conditione ſi modo in fide perſeuerent, qua ſolâ iuſtificantur: Caluiniſtæ ſine vlla exceptione ſimpliciter & abſolutè, quia fides iuſtificans ſecundum illos eſt electorum tãtùm, & prædeſtinatorum propria.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib.3.inſtit. cap.2.§.19. *In ſumma verè fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium, beneuolũq; e patrem eſſe perſuaſus, de eius benignitate omnia ſibi pollicetur, niſi qui diuinæ erga ſe beneuolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis exſpectationem præſumit.* Et §.17. *Qualemcunque in modum affligentur fideles, decidere, ac deſciſcere negamus à certa illa, quam de miſericordia Dei conceperunt, fiducia.* Similia habet §. 40. & §.43. Atque ita docent & ſentiunt Caluiniſtæ omnes, nemine, quod ſciam, excepto; Omnes gloriantur, & ſinguli ſe vitæ libro inſcriptos, ac ſolos è mundo ad vitam æternam eſſe electos.

Porrò hoc decretum prædeſtinationis docet Caluinus factum à Deo ſimpliciter, & abſolutè, vt non ſolum alij ad vitam, ſed & alij

ad

ad mortem destinati sint æternam citra vllũ ipsorum meritum, solùm quia Deus ita voluit. Lib.3. instit. cap. 21. §.3. *Non enim pari cõditione creantur omnes, sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur: Itaq; prout in alterutrum finem quisq; conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus.* Et §.7. *Quod ergo scriptura clarè ostendit, dicimus æterno, & immutabili consilio Deũ semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio deuouere.* Et cap. 22. §.3. *Vbicunq; verò hoc regnat Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera.* Et §.11. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur; nisi quoniam illi ita placet, neq; etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem.* Et cap. 23. §.1. *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum alio transferre; quàm ad arcanum consilium Dei.* Et hanc ipsam Dei voluntatem vult esse rerum necessitatem, ita vt qui pereant, nunquam saluari potuerint, qui saluentur, nunquam perire, vel deficere. Ibid. §.7. *Discretũ verbis hoc exstare negant decretum fuisse à Deo, vt suâ defectione periret Adã.* Et mox: *Decretum quidem horribile fateor; inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequã ipsum cõderet, & ideo persciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Et infra: *Nec absurdum videri debet, quòd dico Deũ non modo primi hominis casum, & in eo posterorũ ruinam præuidisse, sed arbitrio quoq; suo dispẽsasse.*

Quapropter concludit §. 8. *Non dubitabo igitur simpliciter, fateri volũtatem Dei esse rerũ necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit.* Hinc est etiam quod asserit reprobos non posse non peccare, propter ipsorum interitus decretum. §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cũ ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas.*

LOCVS VI.

De perseuerantiá in fide, & bonis operibus.

DOGMA CATHOLICVM.

Non solum electos, sed etiam sæpè reprobos rectè credere, & viuere; ideóq; fidei donum non esse electorum proprium, sed oẽs omninò homines, eius esse capaces. Solos tamen electos in timore, & amore Dei, salutis suæque in fide ac in bonis operibus ad finẽ vsq; perseuerare: Reprobos autẽ sponte, & malitia sua vel nolle credere, vel nolle piè viuere; aut pręstare ad tẽpus vtrũque, & propria culpa deficere: vnde patet veram

verã fidem semel habitam amitti posse. Neminem autem mortalium in hac vita suæ perseuerãtię, sicut prædestinationis, nisi speciali Dei reuelatione, esse certũ: sed omnibus dictum esse: Cũ metu, & tremore salutem vestram operamini.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Aug. tract. 10. in Ioh. epist. *Iam credit aliquis in Christo, sed odit Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, nõ in amore coronæ, adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides, qualem dicit Apostolus Paulus: Fides quæ per dilectionem operatur.*

Idem tract. 53. in Iohan. *Videte quemadmodum notauerit Euangelista, & improbauerit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit.*

Item ser. 16. de verbis Apostoli: *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem, & caritatem.*

Idem S. Pater tract. in tit. psal. 71. *Non erat in potestate tua, vt non nascereris ex Adã, est in potestate tua, vt credas in Christum.*

Et lib. de prædest. Sanct. cap. 3. *Vtrumq; nostrum est, velle scil. credere & amare propter arbitrium volũtatis, & vtrumq; datum est, per spiirtũ fidei & caritatis.* Et cap. 3. *Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio volũtatis, sed in electis præparatur volũtas à Domino.*

S. Prosper lib.2. de vocat. gent. c. 26. loquens de auxilio,& gratia Dei, cui voluntas hominis liberè cooperatur. *Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur,& quod a multis refutatur ipsorum est nequitia: quod autē à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humana.*

S. August. lib.1.ad Simplicianum quæst. 2. *Noluit Esau,& non cucurrit; sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui ei & velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Et alibi docet, *Deum neminem deserere, nisi à quo ipse prius deseratur.*

Porrò Salomonem qui antea fidelis fuit, & iustus, & à Deo dilectus, damnatum esse existimat S. Augustinus lib. 22. cont. Faustum c.88. *De Salomone quid dicam, quem vehementer arguit S. Scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei omninò commemorat.* Idem de eodem censet S. Cyprianus lib. 1. epist. 5. vbi simile fert iudicium de Saule, & cum illo vicissim S. Aug. lib.2, ad Simpl. quæst.2.

Quod si hi SS. Patres in exemplis errent, circa indiuidua (posito hoc inquam, sed non concesso) in doctrina tamen omnium minimè errant; hominem circa fidem, & iustitiam sæpè naufragare.

Deniq; S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerandi vsq; in finem, in*

fide

fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter & iustè viuere, & postea cadere.

S. Gregorius lib. 30. Morali. cap. 32. *Quis intelligat quod alius è Catholicæ Matris ventre proditus iuxta vitæ terminum erroris voragine deuoratur? alius autē vitam suam in catholica pietate consummat, qui ortus in perfidia, cū lacte matris hauserat virus erroris?*

Sed quæ supra allata sunt SS, Patrum testimonia pro incertitudine prædestinationis huc omnia etiam faciunt, & eorum quædam de ipsius perseuerantiæ in Catholicâ fide, & vitâ, incertitudine, loquũtur. Ista ergo si placet ibi relege, & huc repete.

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. *Similiter de perseuerantiæ munere, de quo scriptum est. Qui perseuerauerit vsq; in finē hic saluus erit, &c. nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen qui se existimāt stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suā operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosinis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & castitate &c.* Supra autē posito dogmati Catholico congruunt hi canones.

Canon XVII.

Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam nō accipere, vtpotè diuina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

Canon XXIII.

Si quis hominem semel iustificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam (puta fidem & charitatem) *amittere: atque ideò eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, &c. anathema sit.*

Canon XVI.

Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, se certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.

*SENTENTIA LVTHERANORVM.

** Hæc nihil à superioribus Ss. Patrum & Pontificiorū sententijs discrepat,: isi, quod soli fidei certitudinē, & securitatem æternæ salutis tribuit.*

LVTHERVS etsi tribuit fidei securitatem salutis, & vitæ æternæ, neminem tamen vult esse conscium, & certum vel Dei prædestinationis, vel suæ in fide perseuerantiæ. Operatione in psal. 5. prolixè disputat de arcano prædestinationis decreto, & in curiosos eius inquisitores valde inuehitur, dicens hoc peccato nullum ferè esse grauiùs: *Non est necessarium tibi*, inquit, *ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. Et scire, vel velle scire se esse prædestinatum, non ex Deo, sed ex Diabolo proficiscitur.* Ibid. *Si illi vix perseuerant, qui mandatis Dei*

tis Dei intentissimè inhærent, vbi apparebunt, qui eis desertis misceri se permittunt extraneis, vel vanis cogitationibus? ita diabolo, vel cordi tuo dicas, Nō hoc præcepit Deus, sed sperare me iussit, huic intendam soli negotio.

Philippus Mel. in locis comm. titulo de bonis operib. quæst. 4. *Necessitas retinendæ fidei est, quia Spiritus S. expellitur, & perturbatur, cum admittuntur peccata contra conscientiam.* Pauloque post: *Et fidem excuti per mala opera, testatur hoc dictum Pauli 1. Tim. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior*, vbi plura adducit testimonia Scripturæ, quibus circa fidem naufragium sæpè fieri docet.

Clariùs hoc explicant, & tradunt Lutherani in Examine Theologico, authore Leonardo Culmanno, pro candidatis Ministerij cōscripto: titulo de fide: *Manemusne sēper in fide? Non. Fides enim, & gratia, & Spiritus S. excutiuntur, cum labimur in adulteria, iniustas cædes, furta, mendacia, aut alia delicta cōtra conscientiam. Sancti enim cum ruunt contra conscientiam, in flagitia à Deo prohibita, amittunt Spiritum S. & accersunt sibi pœnas corporales, & perpetuas, nisi redeant ad pœnitentiam.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS vult fidei donum esse electorum ad vitam proprium, reprobos nun-

quam eius fieri participes quos Deus priuat omnibus ad salutem medijs. Quos verò semel dicit fide præditos, eos neque fide, neque beatitudine cœlesti excidere posse, securos & certos suæ perseuerantiæ. Lib. 3. inst. cap. 2. § 7. *Quemadmodum autem vocatione, & iustificatione electos suos Dominus signat, ita reprobos vel à notitia sui nominis, vel à Spiritus S. sanctificatione excludendo, quale maneat eos iudicium, istis veluti notis aperit*. Et cap. 22, § 10. *Quod si electio fidei mater est, in eorum caput retorqueo argumentum, ideò non esse generalem fidem, quia specialis est electio*. Et infra: *Si omnes vellet saluos, custodem illis præficeret filium, & omnes in eius corpus sacro fidei vinculo insereret. Nunc constat fidem singulare esse paterni amoris pignus, filijs quos adoptauit reconditum*. Et cap. 24. § 12. *Quos ergo in vitæ contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ suæ organa forent, & seueritatis exempla, eos vt in finem suum perueniant, nunc audiendi verbi sui facultate priuat, nunc eius prædicatione magis excæcat, & obstupefacit*. Et § 13. *Posset Deus malorum voluntatem in bonum conuertere, quia omnipotens est. Posset planè. Cur ergò non facit? Quia noluit. Cur noluerit penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere, quàm oportet, multoque id satius est, quàm tergiuersari cum Chrysostomo: Quod volentem trahat, & manum porrigentem, ne discrimen in Dei iudicio sed in solo hominum arbitrio situm videatur.*

Porrò idem Caluinus eiusdem lib. cap. 2, § 12. *Hoc interim tenendum est, quamuis exigua sit ac debilis in electis fides, quia tamen spiritus Dei certa illis arrha est, ac sigillum suæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri posse eius sculpturam.* Et cap. 22, § 7. *Sed quos inseruit semel Christus in corpus suum, eorum neminem perire sinet.* Et §.5. *Si nos eius corpori inserere destinauit Pater, & quotquot inter eius membra recognoscit, satis perspicuum, firmumque testimonium habemus, nos in libro vitæ scriptos esse si cum Christo communicamus.* Et paulò post: *Toties repetitur hæc doctrina: Filio vnigenito non pepercit, vt quisquis credit in eum non pereat. Ille, inquam vobis testis fuit filiorum loco habitum iri a Patre cælesti omnes, à quibus fide receptus fuerit.* Et § 6. Obiectionem ponit: *At Paulus alibi à securitate dehortatur: Qui bene stat, inquit, videat ne cadat. Item insertus es in populum Dei, noli superbire, sed time, potest enim Deus rursum succidere, vt alios inserat. Denique ipsa experientia satis docemur, parui esse vocationem, & fidem, nisi accedat perseuerantia, quæ non omnibus contingit. Sed enim ista sollicitudine liberauit nos Christus. Et quia Christus orauit pro Petro ne deficeret fides eius,* concludit ibid. in fine *omnes fide præditos, extra periculum defectionis esse.* Item: *Quid hinc nos discere voluit Christus, nisi vt confidamus perpetuò nos fore saluos, quia illius semel facti sumus.*

ANTIQUA HAERESIS.

In erroribus Hæretici Iouiniani imprimis hunc computant, S. Hieronymus lib. 1. & 2. contra Iouin. & S. Augustinus lib. de Hęres. cap. 82. quòd docuit, eum qui semel reuerà fidem, & gratiam Dei accepit, neque perire, neque peccare posse, sed certò fore saluum.

LOCUS IX.

De Christo Mediatore.

DOGMA CATHOLICUM.

Christum θεάνθρωπον, verum in vna persona Deum & hominem, esse inter Deum & hominem Mediatorem, nostrumque Aduocatũ, secundùm naturam humanam, secundùm quam passus est, & mortuus; esse verò omnipotentem, omniscium, & omnipræsentem, secundùm naturam suã diuinam; manentibus vtriusque naturæ proprietatibus distinctis.

SANCTORUM PATRUM SENTENTIAE.

S. Cyrillus in Apolog. pro 12. capp. cont. Orient. *Quando factus est homo, vocatus est Pontifex.* Et infra: *Audiens quod Sacerdos dictus est propter humanitatem, erubescisne?*

ſciſne? Et lib. 11. in Ioan. cap. 7. *In quantum Deus eſt, vnà cum patre nobis bona largitur, in quantum verò Mediator, & Pontifex noſtras preces ad patrem adducit.*

S. Chryſoſtomus in cap. 9. ad Hebr. explicans illud: Ideò Noui Teſtamenti Mediator eſt, *&c. Quid eſt,* inquit, *Mediator? Mediator non eſt dominus rei cuius eſt Mediator, ſed eſt alia quadam res.*

S. Fulgentius lib. de incarn. & grat. Chriſti, cap. 13. *Hic in humana natura Mediator Dei & hominum factus eſt.*

S. Auguſtinus tract. 82. in Ioan. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum homo eſt* IESVS *Chriſtus.*

Idem lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 20. *Vnde verus ille Mediator in quantum formam ſerui accipiens Mediator effectus eſt Dei & hominum, cùm in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo vnus eſt Deus, tamẽ in forma ſerui ſacrificium eſſe maluit.*

Item lib. 16. contra Fauſtum cap. 15. *Diſſimilis hominibus Chriſtus, quia Deus, ſimilis hominibus, quia homo Mediator Dei, & hominũ.*

Et lib. 10. Confeſs. cap. 43. *In quantum homo, in tantum Mediator, in quantum autem Verbum, non medius, ſed aqualis Deo.*

Et lib. 2. de peccat. orig. cap. 28. *Non per hoc Mediator eſt, quod æqualis patri, per hoc enim quantum pater, tantum & ipſe à nobis diſtat: Et quomodò erit Medietas, vbi eadem diſtantia eſt? Ideò Apoſtolus non ait: Chriſtus* IESVS, *ſed homo Chriſtus* IESVS. *Per hoc ergo Mediator,*

per

per quod homo, inferior patre, per quod nobis propinquior.

Item Conc. 1. in psal. 29. Explicans eadem verba Apostoli 1. Tim. 2. Vnus Deus, vnus homo; vbi vnum Deum explicat S. Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum S. *Quid est*, inquit, *Mediatorem esse inter Deum; & homines, non inter Patrem, & homines, sed inter Deum & hominem. Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus S. Qui sunt homines? peccatores, impij, mortales. Inter illam trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem Mediator factus est homo; non iniquus, sed tamen infirmus.* &c.

Et serm. 11. de verbis Apostoli. *Vnus Deus; vnus & Mediator Dei & hominum; Non ait*, inquit, IESVS, *ne tu putares secundum Verbum dictum; sed addidit homo Mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS.

S. Cyrillus Hierosolym. catech. 14. in fine: *Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod spiritu medius hic non adsit, audiẽs quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans renes, & corda.*

S. Cyrillus Alexandr. lib. 11. in Ioan. cap. 21. *Quare cùm Deus & homo Christus verè sit, oportuit intellexisse ineffabili Dei potestate, vnà cum eis semper futurum, etsi carne abesset.*

S. Ambrosius libr. 2. de fide, cap. 4. *Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui vbique semper est: vt homo, est qui vadit, ipse qui venit.*

S. Leo

S. Leo serm. 2. de Ascens. *Ineffabili modo per Ascẽsionem capit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.*

S. Fulgentius lib. 2. ad Thrasimundum cap. 17. *Vnus idemq́ secundum humanam substantiã absens cœlo cùm esset in terra, & derelinquens terram cùm ascendisset in cœlum, secundùm diuinam verò immensamq́ substantiam, nec cœlũ dimittens cum de cœlo descendit, nec terram deserens, cum ascendit in cœlum.*

S. Augustinus tract. 78. in Ioan. *Sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat. Ibat per id, quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat.* Et Epist. 57. ad Dardanum: *Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq́ vnus Christus* IESVS, *vbiq́ per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

HAEC euidens & clara est in scriptis Pontificiorum, estque eadem cum dogmate Catholico, & SS. Patrum sententijs annexis, sicuti videre est apud Bellarm. lib. 5. de Christo Mediatore.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS existimat Christum non modò secundum vtramque naturam ge-

neris

ſtendi; circumſcriptiuum, ſeu corporalem, definitiuum ſeu ſpiritualem, repletiuum ſeu diuinum. *In quo Lutherus*, vt* Caluiniſta ait Sohnius (qui Lutheri Patris ſui pudenda irridet, hoc ipſo illius teſtimonio in ludibrium allato) *fecit idem, quod homines irati in pugna ſolent, qui armis alijs deſtituti, ligna, lapides, &c. arripiunt, vt ſe defendant.*

* *diſput. de omnipræſentia corporis Chriſti thesi 7.*

Dogma vbiquitatis clariùs poſteà expreſſerunt Lutheri aſſeclæ, præcipuè Ioan. Brentius, qui in ſermone de Aſcenſ. Domini dicit Chriſti humanitatem ab ipſa incarnatione ſemper fuiſſe vbique: Idem äſſerit Iacobus Andreæ, vulgò Smidelinus, in diſput. Tubinhenſi, cap. 34. Itemque Ioannes Marbacchius, Ioannes Parſimonius, Lucas Oſiander; qui corpus Chriſti non ſolum vbique; ſed nominatim, in lignis lapidibus, aëre, aquis, pomis, pyris, caſeo, cereuiſia, patinis, poculis, cantharis cereuiſiarijs; & in inferno ipſo præſens eſſe docent.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS cum ſuis, etſi à craſſo, & monſtroſo hoc Lutheranorum de vbiquitate corporis Chriſti commento abſtinent, Chriſtum tamen etiam ſecundum naturam diuinā generis humani apud Deum Mediatorem, & Aduocatum eſſe ſuperſtitiosè docet. Etenim in reſponſo, quod Caluinus Geneuenſiū nomine, prolixè edidit contra Stancarū (exſtat

illud in eius epistolarum opusculo) *Mediatorem,* inquit, *esse docemus non vnius naturæ tantum respectu, sed quatenus Deus est, manifestatus in carne.*

Fusiùs hoc suũ dogma prosequitur in institutionibus lib. 2. cap. 14. & se à SS. Patrum, veteris Ecclesiæ doctrina dissentire, lubens, & sine vllo pudore profitetur ibid. §. 3. *Atq; hic excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Ioannis loquitur, genuinum obscurant sensum, seq; implicant multis laqueis. Sit igitur nobis hoc rectæ intelligentiæ clauis, neq; de natura diuina, neque de humana simpliciter dici, quæ ad Mediatoris officium spectant.*

In exam. libelli de desp. parte 4. cap. 8.

Heidelbergenses Theologi in huiusmodi dogmatis cõfessione rotundi sunt, & aperti. *Veritas est,* inquiũt, *quòd Christũ doceam' esse Mediatorem secundùm vtrũq; naturam.* Aduntque *quia sententia Lombardi, & Papistarum simpliciter hæretica est? nempe inexcusabilis,* vt Magister illorum suprà aiebat, *Veterũ error.*

ANTIQVA HAERESIS.

EVTYCHIANI docuerunt vnam esse in Christo naturam, vt refert Theodoretus lib. 4. de Hæreticis fabulis. Ita hodie Lutherani nostri, qui dũ naturã Christi humanam deificant, attribuendo illi omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam, & quicquid est solius diuinitatis, vnam faciunt reliquam.

LOCVS

LOCVS X.

De descensu Christi ad inferos.

DOGMA CATHOLICVM.

Christum passum, & mortuum, verè etiam sepultum esse secūdum corpus, & descendisse ad inferos secundum animam.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Thaddæus discipulus, & Apostolus Domini, apud Eusebiū lib. 1. hist. cap. vlt. prædicans fidem Christi, inter alia inquit: *Descendit ad inferos, & disrupit maceriem, quam in seculo nemo disruperat, qui descendit quidem solus, ascendit autem cum grandi multitudine.*

S. Ignatius in epist. ad Trallianos: *Verè, nō hominum opinione, crucifixus, & mortuus est, videntibus cœlestibus terrenis, & ijs qui sub terra detinebantur.* Item *descendit ad infernum solus, regressus autem cum multitudine.*

S. Irenæus lib. 5. in fine: *Dominus legē mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & commoratus vsq; in diem tertiam in inferioribus terræ.*

S. Clemens lib. 6. stromat. *Prædicauit ijs Dominus qui erant apud inferos.*

Origenes homil. 15. in Genes. *Vnigenitus filius pro salute mundi vsque ad inferna descen-*

descendit, & inde protoplastũ reuocauit. Quod enim dicit ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso, non hoc illi soli dictum, sed etiam omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in inferna descenderat.

Tertullianus in libr. de Anima cap. 32. *Si Christus descendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas, & Prophetas compotes sui faceret, habes & regionem inferorum subterraneam credere.*

S. Hippolytus Martyr in orat. de Antichristo in princ. *Beatam*, inquit, *in cruce passionẽ, sepulturam eius, descensum ad inferos, ascẽsum, redemptionemq́; animarum.*

S. Cyprian⁹ serm. de vnctione chrismatis, in fine: *Passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensq́; ad inferos, captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit.*

Eusebius lib. 4. demonstrat. Euangel. cap. 12. *Vsque ad mortem, & vsq; ad ipsos mortuos, leges charitatis ipsum vocabant, vt eorum quoque, qui anteà mortui erant, animas reuocaret.*

S. Athanasius in lib. de Incarnat. qui incipit: Mos pij hominis: *Credite*, inquit, *animam interiorem hominem esse, quoniam id & à prima plasmatione ostenditur, & à secunda dissolutione monstratur, cum non solum nobis, sed etiam in Christi corpore id pateat, corpore non vltra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrante, locis ingenti interuallo discriminatis, sepulchro quidem id quod corporeum erat recipiente, inferno verò id quod incorporeum fuit.*

S. Basi-

S. Basilius in psal. 48. exponens illa verba: Deus redimet animam meam de manu inferi: *Manifestè*, inquit, *vaticinatur domini ad inferos descensum, qui cum alijs etiam animam redimat, ne illic maneat.*

S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de paschate non procul à fine: *Si in infernum descēdat, simul descēde, ea quoq; mysteria cognosce, quæ Christus illic designauit.* Ibidem proponit quæstionem: An Christus omnes ex inferno eduxerat, an tantum aliquos.

S. Hilarius in psal. 138. in illud: Si descendero in infernum ades. *Humana*, inquit, *ista lex necessitatis est, vt sepultis corporibus animæ ad inferos descendant, quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusauit.*

S. Chrysostomus hom. 2. de Symbolo: *Descendit ad inferna, vt & ibi à miraculo non vacaret.*

S. Cyrillus lib. de recta fide ad Theodosiū: *Anima ad Verbum copulam, & vnionem sortita descendit quidem ad infernum, diuina virtute, & potestate vtens, etiam spiritibus qui illic erant, apparuit, & dicebat compeditis: Egredimini, & ijs qui in tenebris, reuelamini.* Item *quemadmodum vnigenitus cum ijs qui adhuc in carne erant, cum carne conuersatus est, ita & animabus in inferno prædicauit, animam habēs sibi vnitam, in qua fuit.*

S. Gaudentius tractatu 6. in Exod. *Nocte*, inquit, *qua corpus exanime relinquens in cruce Dei filius transit cum anima in Ægi-*

ptum inferiorem, vt animas in inferno positas visitaret.

S. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 3. *Liber,* inquit, *est, qui mortis vincula nesciuit, non captus ab inferis, sed sine adiutorio est, qui non per nuncium, neq; per legatum, sed ipse per se dominus saluum fecit populum suum.*

S. Prudentius in hymno 9. καθημερινῶν:

Quin & ipsum, ne salutis
Inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat,
Fracta cedit ianua.

Et hymno primo:

Inde est, quod omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
Christum redisse ex inferis.

S. Hieron. in cap. 4. ad Ephes. *Inferiora terra,* inquit, *infernus accipitur, ad quem dominus noster, saluatorq; descendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cælos victor abduceret.*

Ruffinus in explicat. symboli: *Sed & Ioãnes dicit; Tu es qui venturus es, in infernum sine dubio, an alium exspectamus?* Et infra: *Rediit ergò victor à mortuis, inferni spolia secum trahens, eduxit enim eos qui tenebantur à morte.*

S. Augustinus epist. 57. ad Dardanum quæst. 1. *Neque,* inquit, *ipsò die in cælo futurus erat homo Christus* IESVS, *sed in inferno secundum animam; in sepulchro autem secundam carnem.* Et epistola 99. *Quis ergò*

nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum. Et subiungit: *Secundum animam eum fuisse apud inferos apertè scriptura declarat*. Item tract. 78. in Ioannem. *Quis non est derelictus in inferno? Christus* IESVS, *sed in anima sola. Quis resurrecturus triduò iacuit in sepulchro? Christus* IESVS, *sed in carne sola*.

S. Leo serm. 1. de resurrectione Domini: *Resurrectio Saluatoris nec animam in inferno, nec carnem diu morari passa est in sepulchro*.

S. Fulgentius libr. 3. ad Thrasimundum, cap. 23. *Quam tamen carnem nec in morte diuinitas deseruit, sicut nec in inferno animam dereliquit*. Et cap. 35. *Sciebat quod ille susceptor pleni hominis Deus totus esset cum carne sua in sepulchro, totus cum anima sua in inferno*.

S. Vigilius Martyr contra Eutychetem: *Caro*, inquit, *ipso die non fuit in paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro: anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro*.

S. Greg. lib. 13. Moral. cap. 20. *Dum*, inquit, *conditor, ac Redemptor noster in claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, vnde iam alios descendendo liberauit*.

in inferno. Descendit ad inferos, effectum fecit apud inferos. Verùm contentis his friuolis, & impijs nugis verba Propheta simpliciter dicta, simpliciter intelligamus, & si intelligere nō possumus, fideliter credamus. Maior est autem huius scriptura authoritas, quā totius humani ingenij capacitas ait Aug. Verè enim anima Christi secundum substantiam descendit ad inferos. In his nihil à superiorib' dissentire videtur.

Addit tamen ibidem Luth. *Christus sicut cū summo dolore mortuus est, ita videtur & dolores post mortem in inferno sustinuisse, vt nobis omnia superaret. Ita ego interim verbis Petri inhærebo, donec meliora doctus fuero, vt Christum præ cæteris omnibus non solum mortem, sed etiam dolores inferni sensisse credam.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib. 2. instit. cap. 16. §. 9. *Alij secus interpretātur, quod Christus descenderit ad animas Patrū, qui sub lege mortui erant, vt nuntium peractæ redemptionis perferret, ac erueret eas ex carcere vbi inclusæ tenebantur, vt huc perperam trahunt testimonia ex psalmo; Item ex Zacharia,* &c. Et subdit. *Sed hæc fabula, tametsi * magnos authores habet, & hodie quoque à multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est. Nam concludere in carcere mortuorū animas puerile est; Christi autem animam illuc descendere, vt eas manu mitteret, quid opus fuit.*

* *ita scopticè illudit SS. Patres.*

Existimat autem Caluinus Descensum Christi, vel esse supposititiū, vel Apocryphū,

potiùs quam Apoſtolicum articulum, vel lõgè aliũ, quàm quem SS. Patres tradunt, exigere ſenſum, & ſui interpretationẽ. Priùs dicit §. 18. *Deſcendit ad inferos &c. Hanc particulã, quæ legitur in ſymbolo, apparet non adeò fuiſſe olim in Eccleſijs vſitatã: vnde conijcere licet poſt aliquantulum temporis inſertam, non protinus ſed ſenſim Eccleſiis inſueuiſſe.* Poſterius tradit §. 10. *Verùm de Chriſti deſcenſu ad inferos, ſepoſita ratione ſymboli certior expoſitio quærenda eſt. Nihil actũ erat ſi corporea tantũ morte defunctus fuiſſet Chriſtus, ſed operæ ſimul pretium erat, vt diuinæ vltionis ſe veritatem ſentiret, quo & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret iuſto Dei iudicio. Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copijs, æternæq́, mortis horrore quaſi conſertis manibus luctari.*

Caluin. vult Chriſtum in agone mortis deſperatè & anxiè timuiſſe de ſalute ſua.

Ibid. §. 12. *Hic nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis, quam inſcitia impulſi, clamitant me atrocem Chriſto facere iniuriã, quia minimè conſentaneum fuerit, eum de animæ ſalute timere.* Ibid. ſubijcit: *Vnde apparet nugatores iſtos, cum quibus diſputo, audacter garrire de rebus incognitis, quia nuſquam seriò reputarunt, quid ſit, aut valeat nos redemptos eſſe à Dei iudicio. Atque hæc noſtra ſapientia eſt probè ſentire quanti conſtiterit Dei filio noſtra redemptio. Si nunc roget quiſpiam, an tunc deſcẽderit Chriſtus ad inferos, quum mortem deprecatus eſt? Reſpondeo, hoc fuiſſe exordium, vnde colligi poteſt, quam diros & horribiles cruciatus perpeſſus fuerit.*

Heidelbergẽſes Theologi in ſuo catechiſ.

quæ-

quæstioni 44. *Cur additur; descendit ad inferna*, eandem responsionem accommodant, in cuius maiorem explicationem Zachar. Vrsinus, & eius Amanuensis Pareus, ita scribunt: *Quid igitur significat iste descensus Christi ad inferos? 1. sūmos cruciat⁹, angustias, & dolores, quos Christus perpessus est in anima sua, quales damnati experiuntur, partim in hac, partim in altera vita. 2. Complectitur etiam ignominiam maximam, & extremam.* Et ad calcem suæ explicationis pro clausula addunt: *Credere igitur in Christum qui descendit ad inferos, est credere Christum in anima sua pro nobis sustinuisse dolores & cruciatus infernales, & ignominiam summam, impijs in inferno debitam.*

LOCVS XI.

De lege & præceptis Christi.

DOGMA CATHOLICVM.

Legē Dei, & mandata Christi non modò esse factu non impossibilia, sed volentibus & Deum diligentibus adeò vsque possibilia, vt sint ipsis suauia, & facilia, leuia, non grauia.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Basilius oratione in illud: Attende tibi

 Impium

S. Hieronymus libro 3. aduersus Pelag. *Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est.*

Idem in comment. ad cap. 5. Matth. propè finem: *Multi præcepta Dei sua imbecillitate metientes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt. Et sciendum est ergò Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid.*

S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et cap. 16. *Certum est nos mandata seruare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantùm velimus, quantum sufficit vt volendo faciamus.* Et cap. 69. *Eo ipso quo firmissimè creditur Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia fiũt caritati, cui vni Christi sarcina leuis.*

Idem S. Pater lib. de peccator. meritis, & remiss. cap. 3. *Non præciperet Deus aliquid, quod esset humanæ impossibile voluntati.* Et ca. 6. *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse.*

Item lib. de grat. de libero arbit. cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quãdo dicunt, non iuberet Deus quod sciret nõ posse ab homine fieri, quis hoc nescit?*

Et in psal. 56. *Non imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret.*

SEN-

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. *Nemo*, inquit, *debet temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti; Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; cuius mandata grauia non sunt, cuius iugum suaue est, & onus leue. Qui enim sunt filij Dei, Christum diligũt, qui autem diligunt eum, vt ipsemet testatur, seruant sermones eius, quod vtiq; cum diuino auxilio præstare possunt*. Huius decreti extat Canon XIX.

Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

Lutherus in libro de libertate Christiana: *Aequè nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud vnum; Non concupisces.*

In confutatione rationis Latomi: *Tot*, inquit, *scriptuæ testimonia probant mandatum Dei esse impossibile nobis, vt nihil sit manifestius.*

Et in responsione ad dialog. Syluestri Prieratis: *Pessimè facis, quod negas Saluatorem impossibilia iussisse, plusquam pessimè facis, quod hoc falsitatem audes appellare. Non possumus in hac vita mandata Dei implere.*

Phil. Mel. in comm. suis ad cap. 4. epist. ad Rom.

ad Rom. *Cum mandat lex diligi Deum, perinde impoßibilia iubet, atque si præcipiat nobis transuolare Caucasum.*

Et in expositione decalogi in locis commun. posse legi Dei satisfieri dicit esse vocem sparsam à Diabolo; ne quidem ab ijs etiã, qui Deo placet, sed inchoare posse aliquam obedientiam & hoc ipsis imputari ad perfectam iustitiam, non tamen propter obedientiam, sed solam fidem.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib. 2. instit. cap. 7. §. 5. *Quod autem impoßibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul & confirmandum. Solet enim vulgò absurdißima sententia videri, vt Hieronymus non dubitarit, anathema illi denunciare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror.* Imo Deũ impedire ipsum, ne lex, quã imperat, à nobis seruetur, aut impleatur. Ibid. *Impoßibile appello quod nec fuit vnquam, & ne in posterum sit, Dei ordinatione, & decreto impeditur. Si ab vltima memoria repetamus, neminem Sanctorum extitisse dico qui corpore mortis circumdatus ad eum dilectionis scopum pertigerit, vt ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota potentia Deum amaret.*

ANTIQVA HAERESIS.

Damnata est iam olim hæresis hęc quorundã, contra quos definiuit Concilium Arausicanũ II. Can. vlt. vbi sic legitur: *Hic etiam secun-*

secūdum fidem Catholicam credimus, quod acceptaper baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante quæ ad salutem possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

LOCVS XII.

De Inuocatione Sanctorum.

DOGMA CATHOLICVM.

Sanctos sicut Dei Angelos, per temporalem mortem, & corporis exuuias non impediri, vt pro nobis orare non possint; neque nostri curam abijcere, & in proximum caritatis affectum, vt idem amplius non velint; sed tum vel maximè illos ad orandum prõptos, & expeditos esse, ideoque vt suis nos laborantes & in terris militantes precibus gloriosis adiuuent, sæpe & amanter à nobis pro pia ipsorum, ad Deum intercessione, inuocandos & interpellandos esse.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Dionysius Areopag. cap. Eccles. Hierarch. *Nam profectò,* inquit, *id est, ac si quis*

si quis sole suos radios sanis largiente oculis sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulat, sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & natura ipsorum consentaneas sacras orationes abigit.

S. Irenæus lib. 5. contra hæreses: *Et sicut illa* (Eua) *seducta est vt effugeret Deum, sic hæc* (Maria) *suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ, virgo Maria fieret aduocata.*

S. Cyprianus lib. 1. epist. 1. *Si quis hinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus, & sororibus nostris apud Misericordiam patris non cesset oratio.*

S. Athanasius serm. in Euangel. de Sanctissima Deipara, siue de Annunciatione Mariæ: *Inclina aurem tuam Maria in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui.* Et paulò post: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo.* Et infra: *Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.*

EVSEBIVS libr. 13. præparationis Euangelicæ cap. 7. *Hæc nos quotidiè factitamus, qui veræ pietatis milites vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq; ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari nos profitemur.*

S. Basilius orat. in 40. Martyres: *O cuneum inexpugnabilem, ô communes generis humani custodes, optimi curarum socij.* Ibid. *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat, qui rur-*

infra: *Quod si maiori etiam opus fuerit deprecatione, & aduocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Iohannem, item Theologum, ac discipulum dilectum.*

S. Ephrem in serm. de laudibus Sanctorum Martyr. *Precamur beatissimi Martyres, qui pro Domino saluatore, proq; illius charitate, sponte & impigrè tormenta sensistis, atque ideò familiarius Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris, & peccatoribus, & de negligentia squalore sordentibus Dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi.*

S. Cyrillus Catechesi 5. Mystag. *Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mētionem etiam eorum, qui ante nos obdormierūt, primum Patriarcharū, Prophetarū, Apostolorū, Martyrū, vt Deus orationib. illorū suscipiat preces nostras.*

S. Theodoretus libr. 8. ad Græcos: *Qui peregrè aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, aut potiùs itineris duces.*

IDEM in historia SS. Patrum, singulas vel singulorum vitas ita concludit: *Ego autem huic narrationi finem imponens rogo, & quæso, vt per horum intercessionem diuinum consequar auxilium.*

S. Cornelius Papa in epist. 1. *Orātes Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedētibus Sanctis suis Apostolis, maculas vestrorum purget peccatorum.*

S. Hilarius in Psalm. 124. *Neque desunt stare volentibus Sanctorum custodia, neque Angelorum munitiones.* Et in Psal. 129. *Intercessione,*

inquit, *Angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra, missi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum, & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente.*

S. Ambrosius libr.8.in Lucam in fine: *Sicut Angeli præsunt ita & hi qui vitam meruerint Angelorum.* Et libr.10.in Luc.21. *Mortuis regibus in perpetuum Martyres regnum cœlestis gratiæ honore succedunt, & illi fiunt supplices, isti patroni.*

IDEM lib.de viduis. *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrãdi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrociniũ vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris qui proprio sanguine, etiam si qua habuerũt, peccata lauerũt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viuerent, cognouerunt.*

S. Maximus sermone de Martyribus Tauricis: *Cum his nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.*

ET in serm.de S. Agnete: *Itaque ô splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, & Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.*

S. Hieronymus in epitaphio Paulæ, circa finem:

finem: *Vale ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua, fides, & opera tua Christo te sociant, præsens faciliùs quod postulas impetrabis.* Et in epist. ad Paulum de obitu Blæsillę: *Pro te*, inquit, *Dominum rogat, mihiq́ veniam impetrat peccatorum.*

RVFFINVS lib. 2. hist. c. 33. *Circuibat* (Imperator Theodos.) *cũ sacerdotibus, & populo, omnium orationum loca, & ante Martyrũ, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.*

S. Paulinus in fine carminis Panegyrici de S. Celso:

Celse iuua fratrem socia pietate laborans,
Vt vestra nobis sit locus in requie.

Et de S. Claro:

Qualibet in regione poli situs, aut paradisi,
Clare sub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogãtum
Vt sis Paulini, Therasiaq́ memor.

S. Prudentius qui eodem vixit tempore, in carmine de S. Laurentio:

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè.
Et tristis haud vllus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosq́ alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.

Idem in hymno de S. Cassiano:

Audit, crede, preces Martyr prosperrimus oẽs,
Ratasq́ reddit, quas videt, probabiles.

Idẽm de S. Hyppolyto:

Hippolyto scio me debere Deus, cui Christus
Posse dedit quod quis postulat, annuere.

S. Augustinus li. 7. de baptismo contra Donatistas, cap 1. *Adiuuet nos Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino quantum possumus, bona eius imitemur.*

IDEM tractatu 84. in Iohan. *Ideò quippe ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt ipsi pro nobis orent.* . . .

ET serm. 1. de Sanctis Petro & Paulo: *Beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouolutis adorat gentium multitudo.* Et in Psalm. 96. obijcientibus Ethnicis, quod Christiani colerent Angelos: *Vtinam,* inquit, *& vos illos colere velletis. Facilè enim ab ipsis disceretis non illos colere vt Deos, sed vt Sanctos.*

ITEM serm. 17. de verbis Apostoli: *Habet Ecclesiastica disciplina quod fideles nouerunt cum Martyres eo loco recitant ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Et serm. 18. de Sanctis, pulchra & prolixa eius extat oratio ad B. Virginem.

ET libro de cura pro mortuis cap. 4. *Non video,* inquit, *quod sit adiumentum mortuorum prouisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint reposita eorũ quos diligunt corpora, eisdem Sãctis illos tanquã Patronis susceptos, apud*

Domi-

Dominum adiuuandos orando commendent.

S.Victor Vticensis l.3.de perseq.VVandal. circa finem: *Adestote Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate S. Prophetæ, estote Apostoli suffragatores, præcipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus, & agnis à cõmuni Domino, magna tibi cautela, & solicitudine commẽdatis? Tu S. Paule, gentiũ Magister, cognosce quid VVãdali faciũt Ariani, & filij tui gemũt lugẽdo captiui, vniuersiq; ingemiscite simul pro nobis Apostoli.*

S.Fulgent.in ser.de laudibus B.Mariæ: *Ideò omnes cursus naturæ Virgo Maria in Domino Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret.*

S.Leo papa ser.1.de SS.Petro & Paulo: *Sicut nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; confidimus inter oẽs labores istius vitæ ad obtinendũ misericordiã Dei, semper nos specialiũ Patronorum orationibus adiuuandos.* Et ser.2.dè Anniuersario suę assumpt. *Petrus nunc pleniùs, & potentiùs ea quæ sibi cõmissa sunt peragit, & oẽs partes officiorum, atq; curarum in ipso per quem est glorificatus, exsequitur.* Et ser.3.de Anniuers. *Nunc mandatum Domini pius pastor* (Petrus) *exsequitur, confirmãs nos cohortationibus suis, & pro nobis orare nõ cessans, vt nulla tẽtatione superemur.* Et ser. 5.de Epiph. *Confirmate amicitias cũ S. Angelis, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusq; sociamini, horũ diuitias cõcupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia.*

S.Gregorius libr.2.Dialogor.cap.vlt.in fine: *Vbi in suis corporibus SS. Martyres iacent,*

dubium Petre non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrùmne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostēdere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare; quorū verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione.

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

TRIDENTINA Synodus sess. 25. de Inuocatione Sanctor. &c. *Mandat S. Synodus omnibus episcopis, & cæteris docendi munus, curamq; sustinentibus, vt iuxta Catholicæ Ecclesiæ vsum à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumq; Patrum consensionem, & Sacrorum Cōciliorum decreta, inprimis de Sanctorum intercessione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vsu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos vnà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonū atque vtile esse simpliciter eos inuocare: & ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Iesum Christum D. N. qui solus noster redemptor & saluator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumq; confugere.*

Illos verò qui negant Sanctos æterna fœlicitate in cœlo fruentes inuocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus nō orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem

tionem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, aduersariq́; honori vnius Meditatoris Dei & hominum, Iesu Christi; vel stultum esse in cœlo regnantibus voce, vel mente supplicare, omninò damnandos esse, prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS de adoratione Sacramenti ad VValdenses: *Nō possum,* inquit, *vos pro hæreticis habere, quemadmodum Sophistæ nostri faciunt, quod neque Dei Matrem, neque quenquam Sanctorum inuocatis, sed in solo, & vnico Mediatore Christo acquiescitis. Etsi hic alius pro alio intercedere debet, tamen de sanctorum mortuorum intercessione, & inuocatione nihil in scripturis exstat.*

ET in articulis ad Concilium Mantuanum missis: *Inuocatio Sanctorum,* inquit, *est etiam de numero Antichristianorum abusuum, quæ pugnat cum præcipuis articulis, & delet Christi agnitionem.*

Phil. Mel, in antithesi veræ doctrinæ, & Pōtificiæ: *Manifesta,* inquit, *idolomania est omnis inuocatio mortuorū, qualis est in cultu Sāctorū.*

NICOLAVS Hemmingius in explicat: Euangelij de Festo Annunc. Mariæ: *Inuocatio Sanctorum est cultus Diabolicus, in Ecclesiam à Diabolo inuectus.*

IOHAN. Brentius in Apolog. Confessionis VVittemberg. *Concedimus,* inquit, *Sanctos in cœlo pro viuentibus orare in terra, num idcircò sunt inuocandi? Nihil minus,* &c. *Quis iussit vos*

inuocare sanctos, vt Dei amicos? Nam hic ipse Sanctos inuocandi cultus idololatricus est, propterea quod solus Deus sit inuocandus.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib.1.instit.cap.14.§.12. *Valeat*, inquit, *Platonica illa Philosophia de quærendo per Angelos ad Deum aditu, & ipsis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant: quam superstitiosi curiosiq; homines conati sunt in religionem nostram ab initio inuehere, & ad hunc vsque diem perseuerant.*

ET lib.3.ca.20.§.20. *Porrò merum est nugamentum quod balbutiunt Sophistæ, Christũ esse Redemptionis Mediatorem, fideles autem intercessionis.* Et §.21. *Quantum ad Sanctos attinet, qui carne mortui, in Christo viuunt, si quam illis orationem* (qua ipsi nempe in cœlis orent) *attribuimus, ne ijs quidem ipsis somniemus aliã esse rogandi Dei viam, quam Christum, qui solus via est, aut alio nomine Deo acceptas esse eorum preces. Itaq; postquã scriptura nos ab omnibus ad Christum vnum reuocat, postquam cœlestis Pater vult omnia in ipso recolligere, nimij stuporis fuit, ne dicã insaniæ, nobis per ipsos accessum sic velle moliri, vt ab illo abduceremur, sine quo nec eis aditus vllus patet. Id autem aliquot sæculis factitatum quis neget, hodieq; vbicunq; Papismus viget, factitari?* Et in fine ibid. *Deinde in suis omnibus litanijs, hymnis, & prosis, vbi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Christi mentio.*

Ibid. §.24. *Quod si quis causetur fieri nõ pos-*

se, quin eandem erga nos charitatem retineãt, vt sunt vnà nobiscum fide coniuncti, quis tamen eò vsq; longas esse aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent? Nugãtur quidem in suis vmbris, nescio quid de fulgore diuini vultus ipsos irradiante, in quo ceu in speculo res hominum ex alto despiciant. Et §.27. *Atque hoc posterius ex eorum impudentia facilè coarguitur; quia non alio validiore argumento pugnant, opus nobis esse Sanctorum patrocinio, quàm dum obijciunt nos esse indignos familiari ad Deum accessu,* &c. *Sed inde colligimus nihil eos Christo reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius intercessionem, nisi accedant Georgius, & Hippolytus, aut similes laruæ.*

ANTIQVA, ET OLIM A PRImitiua Ecclesia damnata HAERESIS.

VIGILANTII hęresis fuit, mortuorum (sic enim & ille appellabat, qui cum Christo gloriosè viuerent) orationes pro alijs nō exaudiri, vnde sequitur frustrà Sanctos inuocari, &c. teste S. Hierony. lib. contra Vigilant.

LOCVS XIII.

De veneratione Reliquiarum.

DOGMA CATHOLICVM.

Similiter & Sanctorum corpora, & reliquias in pretio, & honore habendas,

S. Gregorius Nyssenus orat. in Theodorum Martyrem, in princ. *Anima quidem ex quo sublimis abijt, in suo loco requiescit, & corpore soluta, cum sui similibus vnà viuit. Corpus verò venerandum, & immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, & cultu compositum, atq; ornatum, in augusto, sacroq; loco situm est.* Ibid. ait: *Si quis Martyrum templum ingressus, oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem, & benedictionem, contrectationem eius credens: quod si quis etiam puluerem quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tanquam res magni precij condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua einsmodi prospera fortuna contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precũ donũ sciunt experti, & eius desiderij cõpotes facti.*

S. Euseb. Emissenus homil. de S. Blandina: *Vbi sunt,* inquit, *qui venerationem sacris Martyrum dicunt deferendam non esse corporibus?*

S. Cyrillus Hierosoly. catech. 18. *Vt autem non solum anima Sanctorum honoretur, crédaturq; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia, iacens in sepulchro Helisai mortuus, mortuumqùe Propheta corpus attingens, viuificatus est.*

S. Ioh. Chrysosto. serm. de SS. Iuuentio & Maximo. *Idcircò sæpiùs eos inuisamus, tumulos adoremus, magnaq; fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam consequamur.*

S. Am-

S. Ambr.serm.93.de SS. Nazario,& Celso, in fine: *Quod si dicas mihi*, inquit, *quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christo nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam, perennitate virtutis, honoro per confessionē Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis; honoro corpus quod mihi Dominum ostēdit diligere, quod me propter Dominū mortem docuit non timere. Cur aūt non honorent corpus illud fideles; quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerūt in supplicio, sed glorificāt in sepulchro? honoro itaq; corpus, quod Christū honorauit in gladio, quod cū Christo regnabit in cælo.*

S. Maximus in ser.de SS.Octauio, Aduētore, & Solutore: *Cuncti*, inquit, *Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed ij præcipuè venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.*

S.Gaudentius tract.de dedicat.Basilicæ: *Vt venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde vt hanc honori eorū basilicam fundare valeremus, ipse largitus est.*

S. Paulinus natali tertio S.Fælicis, de vrbe Roma loquēs ob reliquias Apostolor. sic ait:

Nā prius imperio tantū, & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulchris.

S. Hieron. in lib. aduersus Vigilant. *Dolet Martyrum reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur.*

Ruffinus libr.11.hist.cap.28.cùm Gentiles, tem-

tempore Iuliani, ossa B. Iohan. Baptistæ igni cremarent: *Quidam*, inquit, *cùm tantum nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina fieri viderent, mori gratius habentes, quàm huiuscemodi piaculo funestari, inter eos qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliquias pertulere.*

S. Augustinus epist. 103. ad Quintianum: *Portant sanè reliquias beatissimi, & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quam conuenienter honorare debeatis.*

AVTHOR libri de Ecclesiast. dogmat. ca. 73. *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra sincerissimè honoranda credimus.*

S. Leo in serm. de S. Laurentio de eius craticula loquens: *Nam quid*, inquit, *non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij?*

S. Greg. lib. 5. epist. 50. ad Palladium: *Quia reliquias Sanctorũ Apostolorum Petri & Pauli, nec non Laurentij, atque Pancratij Martyrum, cum veneratione præbuimus, hortamur, vt eas cum reuerentia suscipere, & collocare, auxiliante Domino debeatis.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

Expressa est illa codẽ loco, & decreto, quo præ-

præcedens articulus, in principio ſeſſ. 25. Ad ſuperiorem contextum ſequitur: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus S. ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, ita vt affirmãtes Sanctorum reliquijs venerationem, atque honorem non deberi, vel eos, aliaq; ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ cauſa, Sanctorum memorias fruſtra frequentari, omnino dãnandas eſſe.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS in ſerm. quem de cruce edidit in feſto exaltationis crucis: *Fragmentorum crucis tanta copia in orbe eſt, vt ſi congeſta eſſent, ex eis iuſta domus ædificari poſſet.* Et infra: *Peruelim*, inquit, *nullam ſpineam coronam exſtare, & nihil vnquam ſacræ crucis emerſiſſe.* &c. *Quare ſi mihi tale fragmentum dono daretur, imò ſi in mea manu crux illa, & huius notæ alia eſſent, eò* *ſtatim reponerem, vt aprico poſthac non exponerentur.* Et paulò poſt. *Cæterùm quod de S. Cruce dixi, hoc idem quoq; de ſanctorum reliquijs, quas vocant, dictum volo. Hæ enim reliquiæ nihil aliud quàm fideliũ auocamenta ſunt, quare ſub terram defodi has multò commodius eſt. Super iſthoc & Vigilantius ſcripſit, contra quem toto pectore Hieronymus ſe oppoſuit, adeò certè vt vellem eum in hac parte à ſtylo ſibi temperaſſe. Quod ſi Vigilantij volumen,*

** Ita verecundè dicit, ſcil vt hic non auſit ſecretum illum locũ nominare.*

volumen, vt Hieronymianum exstaret, facilè crediderim eum multò Christianiùs super hoc scripsisse, quam ipsum Hieronymum.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS in libello suo, quem vocat Admonitionem de perquirendis reliquijs. *Itaque vt paucis dicam, Reliquiarum desiderium nunquam superstitione caret, imò quod deterius est, mater est idololatriæ. Christianorum officij erat Sanctorum corpora in sepulchris suis relinquere, non erigere ipsa opere magnifico, & sumptuoso, quo præmaturam corporum resurrectionem fabricarent. Hoc quidem minimè intellectum fuit; sed è diuerso contra decretum Dei, fidelium corpora effossa sunt, vt magnificè extollerentur, cum in sepulchro suo, velut in lectulo ad extremum diem quiescere debuissent.*

Hæc Caluini prædicatio tam fuit in Gallijs fœcunda, vt Hugonottæ Pictauij reliquias S. Hilarij, & Lugduni, S. Irenæi, & Turonibus S. Martini corpus exusserint, vt refert Laur. Surius in comm. ad annum 1562.

O præclaros noui Euangelij, & reformatę doctrinæ fructus!

Ant. Sadeel Hugonotta, vnus ex præcipuis sectæ, & scholæ Caluinianæ, ad art. 58. Confessionis Monachorum Burdegalensium, quo confitentur peregrinationes ad sepulchra, item reliquias sanctorũ omnibus sæculis obseruatas, esse religiosas, & verbo Dei consentaneas. Respondet hunc vel maximè abu-

 sum

ſum peregrinationum, & cultum reliquiarũ cauſam eſſe ſuæ à Pontificijs ſeceſſionis, nullumque hoc ipſo feraciorem locum idololatriæ plantandæ & educandæ. *Hic non eſt quod obijciatur antiquitas. Licet enim iam tum locum haberet inventum iſtud humanum, nunc tamen longè aliud euaſit.* Et ſubijcit. *Nolumus planè approbare illa primordia iam vſitata temporibus Auguſtini.* Et infra: *Proinde non ſine cauſa talia reijcimus, quandoquidem nulla admonitiones & reprehenſiones veterum paſtorum prohibere potuerunt idololatrias ex illis principijs enatas.* Narratque in princ. duo inſignia fabulæ ſuę mendacia: *Cadurcos Burdegalenſiũ vicinos, qui particulã S. Sudarij ſe habere gloriantur, in proceſsionali cantari ſolitos: Sancte Sudari, ora pro nobis. Et in Abbatia Forenſi eiuſdem regionis iactant,* inquit, *Monachi ſe habere mappam, qua vſus eſt Chriſtus, dum celebraret cœnam. Itaque ſic precantur: Ora pro nobis ſanctiſsima Dei mappa. Quales obſecro idololatriæ ſunt iſtæ?* Qualia obſecro mendacia ſunt iſta?

OLIM IN PRIMITIVA Eccleſia proiecta Hæreſis.

INTER cæteros errores hæreticus Vigilantius aſſeruit, neque Sanctorum reliquias eſſe venerandas, authore S. Hieronymo contra Vigilant.

LOCVS

LOCVS XIV.

De cultu S. Crucis, & Sanctorum Imaginum.

DOGMA CATHOLICVM.

Sanctæ crucis ſignum, aliorumque Sanctorum imaginum vſum diuino cultui,& verbo nuſpiam repugnare,ſed maximè congruere, ideoque piè, & vtiliter ſeruandum eſſe, tum propter prototyporum honorem, & reuerẽtiam in his, tum propter myſterium, & occultas virtutes in illa.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Dionyſius capp. 4. 5. & 6. Eccleſiaſt. Hierarch. dicit in omnibus ſacramentis adhiberi ſignum crucis.

S. Iuſtinus M. quæſt. 118. reſpondit Gentibus quærentibus cur Chriſtiani facie verſus orientem directâ orarent: & dicit cauſam eſſe, *quia Deo dandæ ſunt meliora: ſicut etiam,* inquit, *dextera potius, quam ſiniſtra ſignum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus.*

Tertullianus libr. de corona militis: *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumi-*

na, ad cubicula, ad sedilia, quandocunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

S. Cyprianus lib. 4. epist. 6. in fine: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur.* Et lib. de lapsis in princip. *Frōs cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, corona se domini reseruauit.*

Origines in Exod. cap. 15. homil. 6. sic ait: *Timor, & tremor cadunt super eos* (Dęmones) *cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum* &c.

S. Gregorius Nyssenus in vita Greg. Neocæsariensis, testatur ipsum sæpè signo crucis contra dæmones vsum.

S. Lactātius lib. 4. c. 26. dicit Christū omnibus ijs prodesse, qui signum crucis in fronte conscripserint.

S. Cyrillus Catechesi 4. *Non pudeat nos crucis Christi, quod si aliquis id occulat, tu manifestè signa te cruce in fronte.* Et infra: *Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni negotio.* Idē repetit catech. 13.

S. Athanasius lib. de Incarnat. verbi: *Signo crucis omnia magica compescuntur.* Et in vita S. Antonij scribit illum iussisse contra omnes terrores solo crucis signaculo tutos esse Monachos.

S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 37. Inter primas Apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis.

S. Chrysostomus homil. 55. in Matth. cap

16. *Sed*

16. *Sed veluti coronam, sic lato animo crucem Christi circumferamus. Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur, crux domini adest, cum sacratissimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoq;, ac mente magno studio crucẽ inferamus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est.*

S. Ephrem lib. de pœnit. cap. 3. *Pingamus in ianuis, atq; in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum, armemur insuperabili hac Christianorum armatura.*

Idẽ lib. de armatura spirituali cap. 2. *Scuti vice crucis signo te ipsum muni, validissima enim armatura est.*

S. Ambrosius serm. 43. hortatur vt omnia opera à signo crucis incipiamus. Et serm. 90. recitantur verba S. Agnetis dicentis: *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.*

S. Hieronymus in epist. ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, crebrò signaculo crucis munias frontem tuam.* Item ad Eustochium: *Ad omnem incessum manus pingat domini crucem.*

S. Augustinus tract. 118. in Ioan. ad finem: *Quid est quod omnes nouerunt signum Christi nisi crux Christi, quod signum nisi adhibeatur*

siue frontibus credentium; siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo chrismate inunguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.

Et lib.1.Confess.cap.11, *Signabar iam signo crucis, & condiebar sale Christi.*

S.Martinus apud Sulpitium: *Ego*, inquit, *signo crucis, nō clypeo protectus, aut galea, hostiū cuneos penetrabo securus.*

S. Prudentius in hymno ante somnum:

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumq́; cordis
Crucis figura signet
Crux pellet omne crimen:
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

S. Paulinus natali 8, S. Fœlicis:

Nos crucis inuictæ signum, & confessio munit,
Armatiq; Deo mentem non quærimus arma
Corporis, & quāquā mēbris videamur inermes:
Arma tamē gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

S.Basilius in Iulian. vt citat Adrianus Papa in epistola ad Imperatores in 7. synodo actor. 2. *Historias*, inquit, *imaginum illorum honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis non est prohibendum.*

S. Chrysostomus in liturgia: *Sacerdos*, inquit, *ad imaginem Christi caput inclinat.*

S. Ambrosius serm. 10. in psal. 118. *Qui* inquit,

inquit, *imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronabit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique fecisse videtur iniuriam.*

Idem lib. de Incarnationis dominicæ sacramento cap. 7. *Num*, inquit, *cum in Christo imaginem Dei, & crucem adoramus, diuidimus eum?*

S. Cyrillus catech. 12. *Imago lignea terreni regis honoratur*, quanto magis honorari debet imago regis cœlestis?

Lactantius in carm. de passione Domini:
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Et Sedulius lib. 5. carminis Paschalis:
Neve quis ignoret speciem crucis esse colẽdam.

S. Hieronymus in vita Paulæ: *Prostrata*, inquit, *ante crucem quasi pendentem dominũ cerneret, adorabat.*

S. Augustinus lib. 3. Trinit. cap. 10. loquens de signis sacris, quales sunt imagines, literæ, &c. *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere.* vbi nominatim ponit *serpentem æneum* inter ea, quæ merentur honorem religiosum, cui nunc erectio crucis successit.

Et lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. dicit *signa vtilia diuinitùs instituta veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM

Continetur hæc eodem decreto, quod ini-

tium est, vel præfatio sess, 25. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum SS. in templis præsertim habendas, & retinendas, eisq́ debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui ijs exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus, caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS in sermone de exaltatione crucis, cultum & honorem S. Crucis multis excipit sannis, & ludibrio exponit, ac tandem in S. Thomam inuolat, & miserè illum flagellat. *Deinde,* inquit, *& alius abusus in Ecclesiam grassatus est, quem Thomas Aquinas inuexit, ad cuius aurem columbam pingunt, ego arbitror aliquem ex minutis diabolis fuisse. Hic impostor mirè subtilia per duliam, & hyperduliam cōfinxit, adorari quidem hæc posse, sed eatenus vt ille qui in cœlis est, his quæ pictor coloribus expresßit annectatur. Annectè verò si placet*

etiam

etiam cacodæmoni, & hunc quoq; nugator impudentissimè adora. Verbula tantum sunt, imò verborum portenta, quibus vulgò imponitur.

Et in sermone de Inuentione crucis. *Mera impostura & idololatria est, vti & cum simulachris agitur, videlicet cum imaginibus Marianis, Laurentianis, Nicolaicis, & alijs pluribus, apud quas homines solatium, & auxilium captant. Quãquam imagines non in totum damnẽ, præsertim figuram Christi crucifixi.* Et allato exemplo serpẽtis ænei, in deserto erecti. *Hoc ipsum,* inquit, *& nobis faciendum esset, quo etiam animarum sanitas nobis contingeret, Christum crucifixum in eiusmodi imaginibus & ipsi inspicere deberemus, & in eum credere.*

Ioh. Brentius in Catech. in expos. Symboli *Magiam* vocat *signationem crucis*. Et in præfatione ad responsionem Iacobi Andreæ cõtra Hosium, non crucis imaginem vel figuram, sed asinum potius adorandum dicit, qui naturalem potius dorso portet crucem. Philipp. Mel. in locis comm. de Decalogo, reprehendit omnem imaginum venerationem.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus li. 1. c. 11. §. 5. de imaginibus. *Scio quidem illud vulgò esse plusquam tritum, libros idiotarum esse imagines. Dixit hoc Gregorius: At longè aliter pronunciat spiritus Dei, in cuius schola si edoctus fuisset, hac in parte nunquam ita locus foret.* Et §. 7. *Quare si quid frontis habent Papistæ, nec posthac effugio isto vtantur,*

libros esse Idiotarum imagines: Et mox: *Quas verò Sanctis picturas vel statuas dicant, quid sunt nisi perditissimi luxus & obscuritatis exẽplaria? ad quas si quis formare se vellet, fustuario dignus sit. Equidem* * *Lupanaria pudicitiùs, & modestiùs cultas meretrices ostendunt, quã templa eas quas volunt censeri Virginum imagines. Martyribus nihilo decentiorem fingunt habitum Componant ergò sua idola, vel ad modicum saltem pudorem, vt paulò verecundiùs mentiantur alicuius sanctitatis libros esse. Sed tum quoque respondebimus non esse hanc in sacris locis docendi fidelis populi rationem.* Et infra: *Quorsum ergò attinebat, tot passim in tẽplis cruces erigi, ligneas, lapideas, argenteas,* * *& aureas.*

Ibid. §. 9. *Huc animum aduertant, qui ad defensionẽ execrabilis Idololatriæ, quæ multis antehac seculis vera religio submersa, subuersaq; fuit, miseros prætextus aucupantur. Non reputantur, inquiũt, pro Dijs imagines.* §. 13. *Verùm illo quoq; discrimine omisso, an nullas omninò imagines habere in templis Christianis, expediat, obiter expendamus. Principio si quid nos mouet veteris Ecclesiæ authoritas, meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab imaginibus vacua.* Quod quam fit impudens mendacium, ex supra allatis SS. Patrum testimonijs videre est.

Concludit ibid. *Et nos horribili insania quæ ad totius ferè pietatis interitum, orbem occupaui*

* *Sine dubio Caluinus, sæpè illa lustrauit, & vno plura Non enim semper valet Ex vno disce omnia. Alij existimant sæpius ipsũ lupanaria, quam tẽpla frequentasse. Hic verum esse apparet*

* *Iudas sẽper meliorẽ nouit auri & argenti vsum.*

expauit, plus nimio sumus experti, simulatque in templis collocantur imagines, quasi signum idololatriæ erigi, quia sibi temperare non potest hominum stultitia, quin protinus ad superstitiosos cultus delabatur. Et lib. 4. cap. 9. §. 9. loquens de S. Concilio Nicæno 2. *Quod si,* inquit, *& vera narrant historici, & actis ipsis creditur, non imagines tantùm ipsæ, sed earũ cultus illic receptus fuit. Tale verò placitum palam est à Satana manasse.*

ANTIQVA HAERESIS.

Contra Iconomachos, & Iconoclastas pronunciauit Concilium Nicænum secundum. Xenaias verò Persa primus omnium docuit Christi, & Sanctorum imagines non esse venerandas; teste Niceph. libr. 16. cap. 27.

LOCVS XV.

De oratione pro defunctis.

DOGMA CATHOLICVM.

Suffragia, & orationes viuorum defunctis prodesse, ideoq; piè & salutariter ab Ecclesia Catholica pro fidelibus mortuis concipi, & institui.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Clemens lib. 8. constit. cap. 48. longã describit orationem pro defunctis fieri solitam.

S. Dio-

S. Dionysius de Ecclesiast. Hierar. cap. 7. part. 3. *Accedens deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur oratione illa diuinam clementiã, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat, & regione viuorum.*

Tertullianus in lib. de corona militis, inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis. Et lib. de Monogamia. *Pro anima eius*, inquit, *oret, & refrigerium inde adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius, nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit, quantum in ipsa est.*

S. Cyprianus lib. 1. epist. 9. *Episcopi*, inquit, *antecessores nostri censuerant, ne quis fratres accedens ad tutelam, vel curam Clericorum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Et infra: *Et ideò Victor cũ contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua.*

S. Basilius in liturgia instituit orationem pro mortuis.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione in Cæsarium propè finem: *Ipsi Deo & nostras, & eorum qui quasi in via paratiores prius ad ... bitium peruenerunt, animas commende-*

S. E-

S. Ephrem in suo testamento: *Assiduè, inquit, in vestris orationibus mei memoriam faciatis; etenim in vanitate & iniquitate vitam peregi meam.*

S. Cyrillus Hierosf. catechesi 5. *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi sacrificij.*

Eusebius lib. 4. de vita Constantini Imper. dicit eum voluisse sepeliri in celebri templo, vt fieret particeps multarum orationum.

S. Epiphanius in fine operis contra Hæreses, numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis, & hæresi 75. Aerium hæreticum declarat, quia hoc negabat.

S. Chrysostomus homil. 41. in 1. Corinth. *Iuuetur*, inquit, *mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis*. Et infra: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.*

Et homil. 69. ad populum Antioch. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim multum illis inde contingere lucrum, multam vtilitatem.*

Item homil. 84. in Ioannem. *Sed eam morientium curam habeamus, quæ & nobis, & illis conferat ad gloriam Dei: largas pro his eleemosynas faciamus, mittamus eis pulcherrima viatica.*

Et homil. 21. in acta Apostol. *Itaque si preces*

na, ad cubicula, ad sedilia, quandocunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

S. Cyprianus lib. 4. epist. 6. in fine: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur.* Et lib. de lapsis in princip. *Frōs cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, corona se domini reseruauit.*

Origines in Exod. cap. 15. homil. 6. sic ait: *Timor, & tremor cadunt super eos* (Dęmones) *cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum* &c.

S. Gregorius Nyssenus in vita Greg. Neocæsariensis, testatur ipsum sæpè signo crucis contra dæmones vsum.

S. Lactātius lib. 4. c. 26. dicit Christū omnibus ijs prodesse, qui signum crucis in fronte conscripserint.

S. Cyrillus Catechesi 4. *Non pudeat nos crucis Christi, quod si aliquis id occulat, tu manifestè signa te cruce in fronte.* Et infra: *Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni negotio.* Idē repetit catech. 13.

S. Athanasius lib. de Incarnat. verbi: *Signo crucis omnia magica compescuntur.* Et in vita S. Antonij scribit illum iussisse contra omnes terrores solo crucis signaculo tutos esse Monachos.

S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 37. Inter primas Apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis.

S. Chrysostomus homil. 55. in Matth. cap

16. *Sed*

16. *Sed veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus. Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur, crux domini adest, cum sacratißimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis aßistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoq;, ac mente magno studio crucē inseramus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est.*

S. Ephrem lib. de pœnit. cap. 3. *Pingamus in ianuis, atq; in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum, armemur insuperabili hac Christianorum armatura.*

Idē lib. de armatura spirituali cap. 2. *Scuti vice crucis signo te ipsum muni, validißima enim armatura est.*

S. Ambrosius serm. 43. hortatur vt omnia opera à signo crucis incipiamus. Et serm. 90. recitantur verba S. Agnetis dicentis: *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.*

S. Hieronymus in epist. ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, crebrò signaculo crucis munias frontem tuam.* Item ad Eustochium: *Ad omnem incessum manus pingat domini crucem.*

S. Augustinus tract. 118. in Ioan. ad finem: *Quid est quod omnes nouerunt signum Christi nisi crux Christi, quod signum nisi adhibeatur*

inquit, *imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronabit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtiq; fecisse videtur iniuriam.*

Idem lib. de Incarnationis dominicæ sacramento cap. 7. *Num*, inquit, *cum in Christo imaginem Dei, & crucem adoramus, diuidimus eum?*

S. Cyrillus catech. 12. *Imago lignea terreni regis honoratur*, quanto magis honorari debet imago regis cœlestis?

Lactantius in carm. de passione Domini: *Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora.*

Et Sedulius lib. 5. carminis Paschalis: *Neve quis ignoret speciem crucis esse colēdam.*

S. Hieronymus in vita Paulæ: *Prostrata*, inquit, *ante crucem quasi pendentem dominū cerneret, adorabat.*

S. Augustinus lib. 3. Trinit. cap. 10. loquens de signis sacris, quales sunt imagines, literæ, &c. *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere.* vbi nominatim ponit *serpentem aneum* inter ea, quæ merentur honorem religiosum, cui nunc erectio crucis successit.

Et lib. 3. de doctr. Christ. cap. 9. dicit *signa vtilia diuinitùs instituta veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM

Continetur hæc eodem decreto, quod ini-

etiam cacodæmoni, & hunc quoq; nugator impudentißimè adora. Verbula tantum sunt, imò verborum portenta, quibus vulgò imponitur.

Et in sermone de Inuentione crucis. *Mera impostura & idololatria est, vti & cum simulachris agitur, videlicet cum imaginibus Marianis, Laurentianis, Nicolaicis, & alijs pluribus, apud quas homines solatium, & auxilium captant. Quãquam imagines non in totum damnẽ, præsertim figuram Christi crucifixi.* Et allato exemplo serpẽtis æneì, in deserto erecti. *Hoc ipsum,* inquit, *& nobis faciendum esset, quo etiam animarum sanitas nobis contingeret, Christum crucifixum in eiusmodi imaginibus & ipsi inspicere deberemus, & in eum credere.*

Ioh. Brentius in Catech. in expos. Symboli *Magiam* vocat *signationem crucis.* Et in præfatione ad responsionem Iacobi Andreæ cõtra Hosium, non crucis imaginem vel figuram, sed asinum potius adorandum dicit, qui naturalem potius dorso portet crucem. Philipp. Mel. in locis comm. de Decalogo, reprehendit omnem imaginum venerationem.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus li. 1. c. 11. §. 5. de imaginibus. *Scio quidem illud vulgò esse plusquam tritum, libros idiotarum esse imagines. Dixit hoc Gregorius: At longè aliter pronunciat spiritus Dei, in cuius schola si edoctus fuisset, hac in parte nunquam ita locus foret,* Et §. 7. *Quare si quid frontis habent Papistæ, nec posthac effugio isto vtantur,*

libros esse Idiotarum imagines: Et mox: *Quas verò Sanctis picturas vel statuas dicant, quid sunt nisi perditißimi luxus & obscuritatis exẽplaria? ad qua si quis formare se vellet, fustuario dignus sit. Equidem* * *Lupanaria pudicitiùs, & modestiùs cultas meretrices ostendunt, quã templa eas quas volunt censeri Virginum imagines. Martyribus nihilo decentiorem fingunt habitum Componant ergò sua idola, vel ad modicum saltem pudorem, vt paulò verecundiùs mentiantur alicuius sanctitatis libros esse. Sed tum quoque respondebimus non esse hanc in sacris locis docendi fidelis populi rationem.* Et infra: *Quorsum ergò attinebat, tot paßim in tẽplis cruces erigi, ligneas, lapideas, argenteas,* * *& aureas.*

* *Sine dubio Caluinus, sapè illa lustrauit, & vno plura Nouenim semper valet Ex vno disce omnia. Alij existimant sapius ipsũ lupanaria, quam tẽpla frequentasse Hic verum esse apparet*

* *Iudas sẽper meliorẽ nouit auri & argenti vsum.*

Ibid. §. 9. *Huc animum aduertant, qui ad defensionẽ execrabilis Idololatria, qua multis antehac seculis vera religio submersa, subuersaq; fuit, miseros pratextus aucupantur. Non reputantur, inquiũt, pro Dijs imagines.* §. 13. *Verùm illo quoq; discrimine omisso, an nullas omninò imagines habere in templis Christianis, expediat, obiter expendamus. Principio si quid nos mouet veteris Ecclesia authoritas, meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab imaginibus vacua.* Quod quam sit impudens mendacium, ex supra allatis SS. Patrum testimonijs videre est.

Concludit ibid. *Et nos horribili insania qua ad totius ferè pietatis interitum, orbem oc-*

cupauit, plus nimio sumus experti, simulatque in templis collocantur imagines, quasi signum idololatriæ erigi, quia sibi temperare non potest hominum stultitia, quin protinus ad superstitiosos cultus delabatur. Et lib. 4. cap. 9. §. 9. loquens de S. Concilio Nicæno 2. *Quod si, inquit, & vera narrant historici, & actis ipsis creditur, non imagines tantùm ipsæ, sed earũ cultus illic receptus fuit. Tale verò placitum palam est à Satana manasse.*

ANTIQVA HAERESIS.

Contra Iconomachos, & Iconoclastas pronunciauit Concilium Nicænum secundum. Xenaias verò Persa primus omnium docuit Christi, & Sanctorum imagines non esse venerandas; teste Niceph. libr. 16. cap. 27.

LOCVS XV.

De oratione pro defunctis.

DOGMA CATHOLICVM.

Suffragia, & orationes viuorum defunctis prodesse, ideoq; piè & salutariter ab Ecclesia Catholica pro fidelibus mortuis concipi, & institui.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Clemens lib. 8. constit. cap. 48. longã describit orationem pro defunctis fieri solitam.

S. Dio-

S. Dionysius de Ecclesiast. Hierar. cap. 7. part. 3. *Accedens deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur oratione illa diuinam clementiã, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat, & regione viuorum.*

Tertullianus in lib. de corona militis, inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis. Et lib. de Monogamia. *Pro anima eius*, inquit, *oret, & refrigerium inde adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius, nam hæc nisi fecerit, verè repudiauit, quantum in ipsa est.*

S. Cyprianus lib. 1. epist. 9. *Episcopi*, inquit, *antecessores nostri censuerant, ne quis fratres accedens ad tutelam, vel curam Clericorum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Et infra: *Et ideò Victor cũ contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua.*

S. Basilius in liturgia instituit orationem pro mortuis.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione in Cæsarium propè finem: *Ipsi Deo & nostras, & eorum qui quasi in via paratiores prius ad hospitium peruenerunt, animas commendemus.*

S. E-

S. Ephrem in suo testamento: *Assiduè, inquit, in vestris orationibus mei memoriam faciatis; etenim in vanitate & iniquitate vitam peregi meam.*

S. Cyrillus Hierosl. catechesi 5. *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi sacrificij.*

Eusebius lib. 4. de vita Constantini Imper. dicit eum voluisse sepeliri in celebri templo, vt fieret particeps multarum orationum.

S. Epiphanius in fine operis contra Hæreses, numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis, & hæresi 75. Aerium hæreticum declarat, quia hoc negabat.

S. Chrysostomus homil. 41. in 1. Corinth. *Iuuetur*, inquit, *mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis*. Et infra: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.*

Et homil. 69. ad populum Antioch. *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim multum illis inde contingere lucrum, multam vtilitatem.*

Item homil. 84. in Ioannem. *Sed eam morientium curam habeamus, quæ & nobis, & illis conferat ad gloriam Dei: largas pro his eleemosynas faciamus, mittamus eis pulcherrima viatica.*

Et homil. 21. in acta Apostol. *Itaque si preces*

dium: *Cæteri mariti*, inquit, *super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos: Pammachius noster sanctam fauillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat; his pigmentis atque odoribus fouet cineres quiescentes, sciens scriptum: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.*

S. Paulinus Nolanus in epistola 5. ad Delphinum Episcopum, commendans illi animam fratris sui: *Fac*, inquit, *vt orationibus tuis condonetur tibi, & vt illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito destillans refrigerij gutta respergat.*

S. Augustinus de cura pro mortuis capite 2. *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed & si nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret auctoritas, vbi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. 4. *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorũ, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica Societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunq; suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi.*

S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 55. *Multum*, inquit, *solet animas etiam post mortem sacra obla-*

quit, *quæstio, num pro vita defunctis orandum sit, postquam nihil medij status in Euangelio inter sinum Abrahæ, & infernum indicatum sit; quum in Abrahæ sinu collocati precibus nihil egeant: in inferno autem existentes, nihil inde fructus recipiant? Cui sit obuiandum. Nullum nobis diuinitus praeceptū est; vt pro defunctis deprecemur, vnde nemo peccare potest, qui non orat. Quod Deus neq; praecepit, neq; voluit, in eo nemo mortaliū delinquere potest. At tamen quū Deus non significauerit nobis; qui sit animarum status, nosq; incertos esse oporteat, quid cum illis agat Deus; vt nec possumus; ita nec volumus illos peccatores constituere qui pro illis deprecantur. Ex Euang: nanq; certi sumus multos à mortuis resuscitatos esse; quos fateri tamen cogimur vltimū suum nondum accepisse iudiciū.* Et addit ibid. *Nihil peccati est si pro ea depreceris, in eū tamē modū, vt incertū permanere sinas: at ita dicas: Optime De⁹, si in eo adhuc statu anima est, vt ei subueniri posit, digneris ei propitius esse.* Ac postea in exposit. Euang. in die Epiph. ex Mat. 3. vt rem fictitiā execratur: *Hinc verò quod fictæ istæ animæ se iuuari peterent Missis, ac eiusmodi nugis, factum est, vt Missa in tantū abusum venerit; totq; cœperint diuendi Missæ pro defunctis atq; vigiliæ; quod miseria hac & abominatio nequeat satis deplorari & defleri.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib. 3. cap. 5. §. 10. *Quum ergò mihi obijciunt aduersarij, ante mille; & trecentos annos vsu receptum fuisse; vt precationes fie-*

rent pro defunctis. Hoc ita eludit ibid. *Certè quisquis mediocri prudentia pollet, facilè agnoscit, quicquid de hac re legitur apud veteres publico mori & vulgi imperitiæ fuisse datum. Abrepti etiam ipsi, fateor in errorem fuerunt, nempe vt inconsiderata credulitas priuare iudicio solet hominum mentes, &c. Monicam matrem suam in libris confessionum Augustinus narrat vehementer rogasse, vt sui memoria in peragendis mysterijs fieret ad altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam scripturæ: sed pro naturæ affectu probari alijs voluit. Liber autem de cura pro mortuis agenda ab eo compositus tot hæsitationes continet, vt suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem exstinguere, si quis mortuorum patronus esse appetat.*

OLIM A PRIMITIVA ECclesia proscripta Hæresis.

Hæretici Aëriani, testibus S. Epiphanio hæresi 75. & S. Augustino lib. de Hæresibus cap. 53. docuerunt pro mortuis neque orandum, neque sacrificandum esse.

LOCVS XVI.

De Purgatorio igne.

DOGMA CATHOLICVM.

Præter cælum, & infernum, Purgatorium esse, nempe locum, vel statum intermedium post hanc vitam

vitam, in quo fidelium nonnullorum animæ pro venialibus delictorum reliquijs, vel negligentia, & intermissione debitæ satisfactionis pro mortalibus, tēporalem luendo pœnam pleniùs expurgantur, antequā exinde ad paradisum. & cælestium gaudiorum possessionē transmittuntur.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

PRINCIPIO omnia præcedentis loci SS. Patrum testimonia huc reuocanda sunt, quæ, quòd pro fidelibus mortuis preces rectè fieri doceant, concludunt Purgatoriū. Deinde iam ijs adijciemus quædam illustria loca, quæ claris verbis eundem exprimunt.

S. Cyprianus lib. 4. epist. 2. *Aliud est pro peccatis longo tempore cruciatu purgari, & emendari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.*

Orig. hom. 6. in Exod. *Qui saluus fit per ignē saluus fit, vt si qui fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiantur omnes aurum purum.*

S. Greg. Nyssenus in orat. pro mortuis: *vel in præsenti vita precibus, sapientiaque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacē expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatē.* Et infra: *Non poterit à corpore egressus diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo*

immixtas purgatorius ignis abstulerit. Et rursum: *Alijs post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes abstergentibus, &c.*

S. Gregorius Nazianzenus oratione in S. Lumina: *In altero suo igni baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solũ acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, vitijq; leuitatem absumit.*

S. Basilius in cap. 9. Esaiæ: *Si igitur per cõfessionem detexerimus peccatum, tam succrescens gramen arefecimus, dignum planè quod depascatur, ac deuoret purgatorius ignis.* Et infra: *Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam. Ipse autem saluus erit quasi per ignem.*

S. Eusebius Emissenus, homil. 5. de Epiphania. *Hæc pœna infernalis illos manebit, qui amisso, & non seruato baptismo in æternum peribunt; hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt.*

Lactantius lib. 7. cap. 21. *Quorum peccata pondere, aut numero praualuerint, perstringentur, atq; amburentur.*

S. Hilarius in psal. 118. in illud: Concupiuit anima desiderare iudicia iustitiæ tuæ: *Nobis*, inquit, *est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia.*

S. Ambros. in illud psal. 36. Gladium euaginauerunt peccatores: *Etsi saluos faciet Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamen*

tamen salui quasi per ignem: Etsi non exuremur, tamen vremur, quomodo tamen alij remaneant in igne, alij pertranseant, alio loco nos doceat scriptura diuina, nempe in mare rubrum dimersus populus est Aegyptiorum, transiuit autem populus Hebraeorum; Moses pertransiuit, praecipitatus est Pharao, quoniam grauia eum peccata merserunt, eo modo praecipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis.

Idem Sanctus Pater in locum Pauli 1. Corinth. 3. *Sed cum Paulus dicit, sic tamen quasi per ignem, ostendit quidem illum saluum futurum, sed poenas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi aeterno igne in perpetuum torqueatur.*

S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non perdendas, & Diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos, qui Diabolum, satellites eius, omnesque impios, & praeuaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos si in peccato praeuenti fuerint, saluandos esse post poenas.*

Idem S. Hieron. in fine comment. in Esa. *Sicut diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo non est Deus, credimus aeterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementia sententiam iudicis.*

S. Paulinus epist. 1. ad Amandum: *Ob hoc*

purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis: excedit enim omnem pœnam, quam vnquā passus est aliquis in hac vita.

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

Concilium Trident. seſſ. 25. de Purgatorio. *Cum Catholica Ecclesia ſpiritu S. edocta ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione in ſacris Concilijs, & nouiſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragijs, potiſſimum verò, acceptabili altaris ſacrificio iuuari; præcipit S. Synodus Episcopis, vt ſanam de Purgatorio doctrinam, à ſanctis Patribus, & ſacris Concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari diligenter ſtudeant.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

Lutherus à Pontificijs defectionis ſuæ initio in diſput. Lipſica. Purgatorium catholicè admittit, imò apertè confitetur, dicens: *Ego*, inquit, *qui credo fortiter, imò auſim dicere ſcio purgatorium eſſe, facilè perſuadeor in ſcripturis de eo fieri mentionem*. At in libro ad VValdenſes de Euchariſtia mutat ſententiam: *Cum negatis*, inquit, *Purgatorium, damnatis Miſſas, Vigilias, Cœnobia, Monaſteria, & quicquid per hanc impoſturam erectum eſt, per omnia etiam probo.*

ANTIQVA HAERESIS.

AERIVS teste S. Epiphanio hæref. 75. & S. Augustino hær. 53. primus vt apparet, videtur negasse Purgatorium, docens non esse pro defunctis orandum. Disertè autem inficiati sunt Purgatorium VValdenses, vt testatur Guido Carmelita in Summa de hæreticis; & paulo antè ipsos Apostolici, authore S. Bernardo, serm. 66. in cantica. Idem docuerunt eodem ferè tempore Henricus & Petrus Bruis, contra quos pari industria scripsit S. Bernardus epist. 240. Albigenses verò Purgatorium, & Infernum esse negabant, teste S. Antonino 4. parte, tit. 11. cap. 7. §. 5.

LOCVS XVII.

De Ecclesiasticis Traditionibus.

DOGMA CATHOLICVM.

Verbi Dei partem scriptam esse, partem non scriptam: quarum illa pars S. Scriptura appellatur, & S. Literæ, vulgò Biblia: hęc Apostolica, vel Ecclesiastica Traditio, quòd illam sinu suo contineat, & viua voce tradat, deque manu in manum posteris transmittat Ecclesia, columna, & stabilimentum veritatis.

Origenes in cap.6. epist. ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare.*

Et homil.5.in lib. Numer. *In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla quæ cum omnibus facere necesse sit, eorum tamen ratio non omnibus patet.*

Tertullianus lib. de corona militis: *Etiam in traditionis obtentu exigenda est inquis authoritas scripta. Ergo quæramus an & traditio non scripta non debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla præiudicent exempla aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, ex corde consuetudinis patrocinio vendicamus.* Deinde enumeratis cæremonijs baptismi, signi crucis, sacrificij anniuersarij pro defunctis, & alijs quibusdam, subdit: *Harum, & similium disciplinarum si legem expostules scripturarū, nullam inuenies, traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Et lib. de præscript. Hæret. docet *Hæreticos non ex scripturis, sed ex traditione confutandos.*

S. Cyprianus libr. 1. epist. 12. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit.* At de chrismate nihil in scripturis: sed tantum in traditione legitur.

Idem lib.2. epist.3. *Admonitos nos scias, vt in calice offerendo dominica traditio obseruetur, neq; aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.*

S. Eu-

S. Eusebius lib. 1. de demonstrat. Euang. cap. 8. *Cæterùm Moses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis perfecta noui Testamenti documenta descripsit. Eius verò discipuli ad magistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam commẽdantes, quæcunque quidem veluti vltra habitum progressis à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerãt, ea iis qui capere poterant tradiderũt, quæcunque verò iis conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq; indigentes ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim sine literis, quasi iure quodam non scripto seruanda commendarunt.*

S. Athanasius in lib. de decretis Nic. Synodi: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autẽ ô noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores?*

S. Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Ecclesia seruantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit qui vel mediocrem saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.*

S. Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum: *Cæterùm maiorem atq; insigniorem ob eas Ecclesiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc vsq; diem seruamus,* &c.

S. Chry-

S. Chrysostomus in 2. Thess. 2. *Patet*, inquit, *quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam ista, quàm illa.*

Idem S. Pater homil. 69. ad populum Antioch. & homil. 3. in epist. ad Philip. *Non frustra*, inquit, *ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt multum illis hinc emolumenti fieri, multū vtilitatis.*

S. Epiphanius hæresi 55. quæ est Melchisedecianorum: *Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & scriptura sancta, & successiones doctrinæ, & vndequaq; veritas Dei munita est, & nemo decipiatur nouis fabulis.*

Item hæresi 61. quæ est Apostolicorum: *Oportet & Traditione vti: non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt.*

S. Hilarius lib. contr. Constantium Imperat. respondens Ariano principi dicenti: *Nolo verba quæ non scripta sunt: Hoc tandem*, inquit, *rogo quis Episcopus iubeat? quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius si rectè dici putas; nolo aduersus noua venena nouas medicamentorum comparationes.*

S. Hieronymus in epistola ad Marcellam, de erroribus Montani: *Nos*, inquit, *vnā quadragesimam ex Apostolica traditione tempore nobis congruo ieiunamus.*

Idem

Idem S.Pater in dialogo contra Luciferianos: cùm hæreticus dixisset; *Multa quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt:* Respondit Orthodoxus: *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem. Sed quale est, vt leges Ecclesiæ ad hæresim transferas?*

S. Augustinus lib.10.de Genesi cap. 23. *Cõsuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, nec vllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.*

Et libr. 2. de Baptismo contra Donatistas cap.7. *Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in concilijs posteriorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Et lib.4.cap.6. *Illa consuetudo, quam & tunc homines sursum versus aspicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.* Et lib. 5. cap. 23. *Apostoli nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumsisse, credenda est, sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta nõ reperiantur.*

Idem lib.de Vnit.Ecclef.cap. 19. *Hic fortè dicis, lege mihi, quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam trãsire volunt. Hoc apertè neq; ego lego, nec tu, &c.*

Et po-

Et postea subdit: *Cum hoc nusquam legatur, credendum esse testimonio Ecclesiæ, quam veracem esse Christus testatus est.*

Item epist. 118. *Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Aduentus de Cœlo Spiritus S. anniuersaria solennitate celebrantur.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

DECRETO de Canonicis scripturis sess. 4. *Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata &c. perspiciens hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante quasi per manus traditæ,* ad *nos vsq; peruenerunt, Orthodoxorum Patrum exẽpla secuta omnes libros tam veteris, quàm noui testamẽti, cùm vtriusque vnus Deus sit author, nec nõ traditiones ipsas, tum ad fidem, tam ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas pari pietatis affectu, ac reuerentia suscipit, & veneratur.*

SEN-

esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. Et cap. 10. §. 5. Quicquid populo prescribitur, vel commendatur præter hoc verbum scriptum, vocat leges humanas, & quidem quæ conscientias hominum nequaquam obstringant: *Atque in hoc cardine versatur Pauli disputatio, Magistratus quoniam à Deo sunt ordinati, honore persequendos esse. Intereà minimè docet, quæ ab illis scribuntur leges, ad interiorem animæ gubernationem pertinere,*&c. *Alterum quoque notatu dignum est (quod tamen ex superioribus pendet) leges humanas; siue à Magistratu, siue ab Ecclesia ferantur; tametsi sunt obseruatu necessariæ, de probis, & iustis loquor, ideò tamen non ligare per se conscientiam.*

ET §.8. *Habemus ergo impias esse omnes constitutiones, in quarum obseruatione cultus Dei situs esse fingitur.* Et §. 9. *Constitutiones quas vocant Ecclesiasticas, quibus Papa cum suis onerat Ecclesiam dicimus perniciosas esse, & impias: Aduersarij nostri sanctas esse & salutares defendunt.*

IBID. §. 18. *Iam verò referre ad Apostolos traditionum originem, quibus hactenus oppressa est Ecclesia, mera fuit impostura.* §. 19. *Atqui obijciunt fuisse hanc olim persuasionem, quæ in Ecclesia vniuersa vno consensu fierent, ab ipsis Apostolis prodijsse: Cuius rei Augustinum citant testem: Quæ toto, inquit, terrarum orbe seruantur, vel ab ipsis Apostolis, vel concilijs generalibus, quorum est saluberrima in Ecclesia authori-*

tas, statuta esse intelligere licet. §. 20. *Ne longior sim, vnicum tantum exemplum proferam: si quis eos interroget, vnde aquam suam lustralem habent, protinùs respondent; ab Apostolis. Quasi non hanc inuentionem nescio cui Romano Episcopo tribuant historiæ.* Et paulò post ibid. *Quicquid sit, hoc à spiritu Apostolico profectũ fuisse minimè concedã, &c. Nec moror quod alibi ipsi idẽ Augustinus alia quoq; Apostolis adscribit. Nam quum nihil præter coniecturas habeat, nõ debet ab ipsis de re tanta iudicium fieri.*

ET §. 27. *Id semper tantum in istis obseruationibus Apostoli Pauli*, vt decenter omnia, & ordine fiant, *excipiendum est, ne aut ad salutem credantur necessariæ, atq; ita conscientias religione obstringant, aut ad Dei cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.*

ANTIQVA HAERESIS.

HAERETICI Ariani nullo modo recipiebant Ecclesiæ traditiones, verbum Dei nõ scriptum, vt docet Maximinus ipse Episcopus Arianorum, referente S. Augustino lib. 1. cap. 2. & vlt. cont. Maxim. quã hæresim postea multi alij imitati sunt, vt Nestor. Dioscorus, Eutyches, &c. vt habetur in 7. Synodo act. 1.

LOCVS XVIII.

De Sacramentis, quæ, & quot?

DOGMA CATHOLICVM.

Omnia Noui Test. Sacramenta: nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam,

ristiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, numero septem, à Deo ipso instituta esse, eiusq; verbo descripta contineri.

SENTENTIAE SS. PATRVM.

BAPTISMVS, & EVCHARISTIA, quod hęc Sacramenta ab omnibus passim huius tempestatis hæreticis agnoscantur, vsuque recipiantur, probatione non indigent aliâ. Sequitur de reliquis.

DE CONFIRMATIONE. Tertullianus lib. de resurrect. carnis, ponit Confirmationem eo quo Baptismum, & Eucharistiam, ordine: *Caro abluitur*, inquit, *vt anima emaculetur, caro vngitur, vt anima consecretur, caro signatur, vt anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur, Caro corpore Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur*. Et lib. de præscript. hæreticor. *Tingit & ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos, signat illic in fronte milites suos*. Et in libro de Baptismo. *Dehinc manus imponitur per benedictionem, prouocans & inuitans Spiritum S.* In his vides Tertullianum omnium trium in hoc sacramento meminisse vnctionis, signi crucis in fronte, & manus impositionis.

S. Cyprianus libr. 1. epist. vlt. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate esset vnctus.* Et libr. 2. epist. 1. Loquens

S. Augustinus de Confirmatione, & Chrismate, quod in illa adhiberi solitum est, loquens, lib. 2. cont. lit. Petil. cap. 104. *In hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis.* Et infra: *discerne igitur visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest: illis ad præmium, istis ad iudicium*, &c.

DE POENITENTIA. Tertullianus in lib. de pęnit. *Hac venena prouidens Deus clausa ignoscentia* (nempe per baptismum) *ianua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere: collocauit in vestibulo Pœnitētiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.*

S. Cyprianus, vel quicunque author est, in sermone de ablutione pedum: *Post baptismum*, inquit, *qui sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum iterasti.*

S. Cyrillus lib. 12. in Iohan. cap. 56. duobus modis dicit: *remitti peccata à sacerdotibus vt Dei ministris, per Baptismum, & Pœnitentiam.*

S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 7. *Cur baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet? In Baptismo enim vtique remissio peccatorum omnium est, neque interest vtrum per Pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes sibi vendicent: idem in vtroque mysterio est.*

S. Victor Vticensis li. 2. de persecut VVandal. *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruu-*

los fontibus aquæ perennis? qui nobis munus Pœnitentiæ collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: Quæcunque solueritis super terram, &c.

S. Chrysost. li. 3. de Sacerdotio: *Neq; enim solum cum vos regenerant, sed etiam postea, cōdonādorum nobis peccatorū potestatē obtinent.*

S. Leo epist. 91. ad Theodor. *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitētiæ medicinā spes vitæ reparetur æternæ.*

S. Hieronymus libr. 1. cont. Pelagian. *Redimatur sanguine Saluatoris, aut in domo baptismatis, aut in pœnitentia, quæ imitatur baptismatis gratiam.* Et lib. 2. *Quod*, inquit, *scriptum est, & sanguis Iesu emundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quam in clementia Pœnitudinis accipiendum est.*

IDEM in epist. 1. ad Heliodorum: *Absit vt de his quidquam sinistrum loquar qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.*

S. August. epist. 180. ad Honorat. *An non cogitamus cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quātus in Ecclesia fieri soleat, ab vtroq; sexu, atq; ab omni ætate concursus, alijs baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus cōsolationem, & Sacramentorum cōfectionem, & erogationem.*

ET

ET libr. 5. de Baptis. cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecãtem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur.*

ET in Psalm. 146. explicans illud: Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: *Quæ sunt,* inquit, *ista alligamenta? temporalia Sacramenta.*

S. Victor Cartennensis in lib. de Pœnit. ca. 20. *Denique Dominum audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas, quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentum.*

DE EXTREMA VNCTIONE. S. Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium c. 8. loquẽs de oleo sancto infirmorum: *Pœnitentibus,* inquit, *istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negãtur, quomodò vnũ genus putatur posse cõcedi.*

S. Concilium Nicænum can. 69. apertè mentionem facit olei infirmorum, & distinguit à Chrismate, & oleo catechumenorum. Quod multa deinceps alia secuta sunt particularia. *Cabilonense* II. can. 48. de hoc Sacramento loquens: dicit Patrum decreta Iacobi Epistolæ consonare. *VVormatiense* can. 72. vbi iterum renouatur decretum S. Innocentij I. *Meldense* apud Burchardum libro quarto can. 75. iubet feria 5. in Cœna Domini parochos ab Episcopo accipere ampullam olei sancti, pro infirmis inungendis, iuxta

Apostolicam traditionem. *Aquisgranense* II. tempore Ludouici Imperatoris, can. 8. Monet ne hoc Sacramentum negligatur, in quo saluatio infirmorum continetur. Item *Moguntinum* sub Rabano Archiepiscopo can. 26.

DE ORDINATIONE. S. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. Ordinandorum, & totius huius Sacramenti ritum describit, & in eo gratiam conferri sat indicat.

S. Iohan. Chrysostomus libr 3. de Sacerdotio: *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum cœlestium classem, ordinemq́ referendum est. Atque id perquam meritò: quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem eiusmodi disposuit.* Et infra: *Tum probè intelliget quanto Sacerdos honore, quanta dignitate Spiritus S. gratia dignata fuerit.*

S. Cyprianus, vel author sermonum de operibus Cardinalibus Christi: *Docemur qua sit Baptismi, & aliorum* (non dicit & * alterius) *sacramentorum stabilitas.* Et infra: *Nam baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus consecrans præsumit accedere, nemo sacros ordines semel datos iterum renouat.*

* *Non ergo sentit esse duo tantum.*

S. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali, ca. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*

S. Anastasius II. Papa in epist. ad Anastasium Imperat. cap. 7. *Nullum de his quos vel*

baptizauit Acacius, vel quos Sacerdotes, siue leuitas, secundum canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.

S. Hieronymus in Dialogo contr. Luciferianos: *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit: & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinauit.*

S. Augustinus lib. 2, contra Parmenianum, cap. 13. *Ipsi explicent quomodò Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti. Si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda est.* Et libr. de bono coniugali cap. 18. *Non absurdè visum est eum, qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quãdam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

S. Leo I. Papa epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ, de Ordinatione loquens: *Quis*, inquit, *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam.*

S. Gregorius I. libr. 4. comm. in libros Regum in principio de Sacramento Ordinis: *Is qui promouetur, benè foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

DE MATRIMONIO S. Chrysostomus, Pater Græcus, hom. 20. in epist. ad Ephesios: *Reuera mysterium est*, (nos Latini dicimus Sacramen-

cramentum) *& magnum mysterium, relicto eo, qui genuit, eo qui aluit, etiam ea quæ peperit, quæ miserè, & cum labore parturiuit, adhærere virum illi, quæ antea neque visa sit, atque hanc omnibus præferre. Verè mysterium est.*

S. Ambrosius comm. in cap. 5. ad Ephes. *Mysterij Sacramentum grande, in vnitate viri, ac fœminæ esse significat.*

ET libr. 1. de Abraham, cap. 7. loquens de eo, qui alterius nuptam ducere cupit in vxorem: *Qui sic egerit, peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit; & ideò quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit cōsortium.*

S. August. libr. 1. de nuptijs, & concupisc. cap. 10. *Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis: vnde dicit Apostolus; Viri diligite vxores vestras.*

ET lib. de bono coniugali cap. 18. *In nostrorum nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* Et cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, & omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis, quod autem ad populum Dei attinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam intercedente repudio, alteri nubere.*

ITEM lib. de fide, & operibus cap. 7. *In ciuitate Domini, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.*

S. Leo in epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 4. *Vnde cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi, & Ecclesiæ*

Ecclesia Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.

PORRO plura esse duobus in Ecclesia Christi Sacramenta, haud obscurè tria hæc sequentia S. Augustini testimonia innuunt.

S. Augustinus epist. 119. ad Ianuarium ca. 7. *Ad celebrationem Sacramentorum vtimur de sensibilibus rebus, aqua, frumento, vino, oleo, &c.*

ET Tractat. 118. in Iohan. ad finem; Quòd signum crucis in omnibus debeat adhiberi Sacramentis: *Quid est,* inquit, *quod omnes nouerunt signum Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aqua, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate inunguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.*

DENIQVE in Psalm. 103. concione 1. in illa verba; Qui tegit aquis superiora eius: *Respice,* inquit, *ad munera ipsius Ecclesia, munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

CONCILIVM Trident. sess. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem. videl. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.*

SEN-

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS varius, & valdè sibi in hac materia inconstans, modò vnum tantum esse Sacramentum asseruit, in initio libri de capt. Babylonica: modò duo in eodem libro, modò tria, Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam in eodem item libro: & hanc suam opinionem vltimam multis alijs in locis repetiuit, vt in libro ad Pragenses de instituendis ministris. Item in libr. de missa priuata. Et in assertionibus contra Louanienses penultimo vitę suæ anno ab ipso editis. Assert. 53. *Pœnitentiam*, inquit, *cum virtute clauium absoluentium, Sacramentum libenter confitemur: habet enim promissionem, & fidem remissionis peccatorum propter Christum.* Et hæc sententia de tribus sacramentis communiter ferè apud antiquos & genuinos Lutheranos obtinuit. Sic enim habet Apologia Augustanæ Confessionis, art. 13. & omnes Lutheranorum Catechismi. Item libri Ecclesiasticorum rituum, vel illorum agendæ.

Aequè lubrico pede Melanchton vacillat, qui eodem doctrinæ vento, & turbine circumagitur, nunc duo statuens sacramenta tantum, vt in locis comm. editis anno 1521. & 22. cap. de Signis: nunc tria, vt in Apologia Augustanæ confessionis art. 13. nunc quatuor vt in locis cõmunibus, editis anno 1536. item 52. & 58. cap. de numero sacramentorum, vbi tribus superioribus *sacramentum Ordinationis* adiecit, quod in Caluinistarum gratiam

fecit,

ſecit, quos ſuis agglutinare ſtudebat. Ad tempus enim viſum fuit Caluino Sacramentum Ordinis verè & propriè eſſe ſacramentum, vt infra videbimus. Verba Philippi ſic habent: *Mihi maximè placet etiam addi ordinationem, vt vocant, id eſt, vocationem ad miniſterium Euangelij, quia hoc etiam mandato Euangelico præcipitur, & addita eſt promiſſio, &c.* vbi toto capite fusè probat Ordinationem eſſe ſacramentum. Maxima tamen Lutheranorum poſteritas, qui ad Caluiniſmum propendent, duo ſolum hodie tradit eſſe ſacramenta.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS libr. 4 cap. 18 §. 19. duo tantum recipit ſacramenta. *Habent Lectores in Compendium collecta ea ferè omnia, quæ ſciri de duobus iſtis ſacramentis* (nempe Baptiſmo, & Cœna Domini) *referri duximus.* Et ibid. *Præter hæc duo, vt nullum aliud à Deo inſtitutum eſt, ita nec vllum agnoſcere debet fidelium Eccleſia.*

AT ſupra cap. 14 §. 20. tria inculcat ſacramenta, quorum duo dicit eſſe ordinaria, & in vſum omnium hominum inſtituta, vnum extraordinarium, & ſolis Dei miniſtris conueniens. *Abrogatis illis* (*nempe Iudæorum*) *duo ſacramenta inſtituta, quibus nunc Chriſtiana Eccleſia vtitur, Baptiſmus, & Cœna Domini. Loquor autem de ijs, quæ in vſum totius Eccleſiæ ſunt inſtituta. Nam impoſitionem manuum, qua Eccleſiæ miniſtri in ſuum munus initiantur,*

quod de ſacramento Pœnitentiæ commēti ſunt. Ementitum hoc ſacramentum ornarunt quo decebat elogio, ſecundam eſſe tabulam poſt naufragium: quia ſi quis veſtrum innocentiam in baptiſmo perceptum peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cuiuſcunque ſit quin planè impium ſit, excuſari nequit. Et infra: *Quod autem durè & impropriè Hieronymus dixit pœnitentia reparari baptiſmum, boni interpretes ad ſuam impietatem trahunt.*

DE *Extrema vnctione.* Ibid. §. 18. *Tertium fictitium Sacramentum eſt Extrema vnctio*, de qua multa à Caluiniſtis ſcabioſè dicuntur, quæ hic odioſè repetere nolumus.

DE *Ordinatione.* Caluinus prorſus ſui oblitus, longè aliter, quam ſupra, hoc capite pronunciat, & §. 33. concludit: *Sacramentum igitur nullum eſſe poteſt.*

DE *Matrimonio.* ibid. §. 34. *Poſtremum eſt Matrimonium, quod vt à Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum, nemo vſque ad Gregorij tempora viderat:* ibique Matrimonium comparat cum *Agricultura, Architectura, Sutrina, Tonſtrina,* &c. *quæ*, inquit, *ordinationes ſunt Dei legitimæ, nec tamen ſacramenta ſunt.*

ZVINGLIVS etſi duo itidem ſacramenta tantum prædicet, de Matrimonio tamen opinionem ſequitur non vulgarem, exiſtimans illud vel eſſe ſacramentum, vel ſacramento quid illuſtrius, ac longè præſtantius, &c. lib. de vera, & falſa religione.

LOCVS

ſtitia, nempè per Sacramenta. Ideoque in præfat. Catecheſ. de baptiſmi ſacramento loquens: *Magnum eſt ſanè propoſitum hoc Baptiſma, captiuitatis liberatio, peccatorum remiſſio, animæ regeneratio, currus ad cœlum.*

S. Gregorius Nyſſenus in lib. de Baptiſmo: *Baptiſma*, inquit, *peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renouationis, & regenerationis cauſa.*

S. Chryſoſtomus hom. 39. in Geneſ. extrema: *Nam id quòd illic operatur Circumciſio in depoſitione carnis, id agit hic baptiſmus in depoſitione peccatorum.*

S. Cyrillus Alexandrinus libr. 2. in Ioan. cap. 42. *Quemadmodum viribus ignis intenſiùs aqua calefacta non aliter vrit quam ipſe ignis: ſic Spiritus S. operatione aqua, quâ baptizati corpus aſpergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam.*

S. Ambroſius lib. 2. de pœnitentia, cap. 2. *Impoſſibile videbatur, vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe non credidit: ſed quòd impoſſibile erat, Deus fecit poſſibile eſſe; qui tantam nobis donauit gratiam.*

S. Optatus lib. 5. contr. Parmenianum, in initio: *Baptiſma Chriſtianorum S. Trinitate confectum, confert gratiam, ſi repetatur, facit vitæ iacturam.*

S. Hieronymus in Epiſt. 83. ad Oceanum: *Quantā vim habeat baptiſma, & aqua in Chriſto ſanctificata gratiam, paulò poſt docebo.* Et infra: *Dies*, inquit, *me deficiet ſi cuncta quæ*

ad potentiam baptismi pertinent, de scripturis sanctis voluero digerere.

Idem S.August.lib.19. cōtra Faustum cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contempta, sacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.*

Auctor homiliæ de Sacramento corporis Domini, quæ habetur inter Eusebij Emisseni homilias, & in 9. tomo S. Hieronymi: Ergò, inquit, *vt ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo subsiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis verbū præbet virtus, & rei seruit effectus.*

S.Gregorius lib.9.epist.39. ad Theodistam Patritiam: *Qui ergò dicit peccata in baptismate funditus nō demitti, dicat in mari rubro AEgyptios non veraciter mortuos.* Vbi vult peccata ita tolli ex homine aqua baptismatis; sicuti è viuis sublati fuerunt Pharaò cum suis, aqua maris rubri.

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

CONCIL. Trident. Sess.7. can. 5. De sacramentis in genere: *Si quis dixerit Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse.* Item can.6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significāt, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quadam*

quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus. Itẽ can.8. *Si quis dixerit per ipsa noua legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere: anathema sit.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS in assert. suorum articulor. art.1. *Nos dicimus, nec noui, nec veteris Testamenti sacramenta, nec solam fidem iustificasse.*

Et in lib. contra Cochlæum: *Non potest vlla pars iustificationis tribui baptismo, alioqui si vlla parte iustificaret, non liceret negare baptismũ sine fide iustificare: cum autem ei denegetur, soli fidei rectè relinquitur.* Item ibidem: *Quod si qui sunt ex Patribus, qui senserunt Sacramenta sua virtute iustificare, esto etiam Augustinus, vt Cochlæus contendit, nihil moror, hominum sunt dicta sibi ipsis sæpius pugnantium, pleraq; humano sensu extra scripturas docentium.*

Et in lib. de capt. Babylonica cap. de Baptis. *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest, sed fides in verbum promissionis cui additur baptismus.* Et infra concludit: *Nec verum esse potest sacramentis inesse vim efficacem iustificationis, seu esse ea signa efficacia gratiæ: hæc enim omnia dicuntur in iacturam fidei.*

Ac in libris posterioribus idem Lutherus rectiùs sentire, & nonnihil resipuisse videtur. Etenim homil.1. de baptis. circa princip. *Ad hoc,* inquit, *institutus est baptismus, vt nobis*

seruiat, nobis prosit, nobis donet non aliquid carnale, vel corporale, sed æternam gratiam, æternam munditiam, & sanctitatem, æternam vitã. Et homil. 2. de baptis. *Non potest non id operari baptismus, ad quod institutus est, videlicet regenerationem, & renouationẽ spiritus.* Et infra: *Voluit Ioannes his verbis significare baptismum tam efficacem, ac tantæ virtutis esse, vt peccata abluere, mortẽ submergere, & suffocare, & omnia vitia, & sordes sanare, & mũdare possit.*

Hanc tamen efficaciam, & operationem Sacramentorum, quam & asseclæ quandoque profitentur, explicant fieri ad solam fidem, & propter eam; vt actu credentibus, & fide suscipientibus sacramenta prosint. Deinde sacramenta operari per modum obiecti, & signi, vel picturæ: quæ fideli commonstret Christum Mediatorem, sicut ementi ostendit hedera vendibile vinum.

M. Kemnitius 2. part. examinis Conc. Trident. pag. 101. & 102. *Verbum, & sacramenta monstrant nobis vbi fides debeat quærere, & vbi possit inuenire Christum Mediatorem, Patrẽ, & Spiritum S.* Et pag. 105. *Obiectum enim fidei est verbum, & sacramenta.*

Philip. Mel. in locis comm. cap. de signis: *Non iustificant signa, vt Apostolus ait: Circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est; sed testes sunt καὶ σφραγῖδες diuinæ voluntatis erga te.* Et in Apolog. anno 1530. edita ad art. 13. Itemque in lib. cont. Anabapt. *Sicut voluntas Dei ostẽditur in verbo, seu promissione, ita ostenditur etiam in signo, tanquam in pictura.*

SEN-

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib.4.instit.cap.14.§.9. *Monitum velim lectorē id ministerium sic me Sacramētis assignare, non quasi arcanam vim, nescio quam, illis perpetuò insitam putem, qua fidē per se promouere, aut confirmare valeant, sed quia sunt in hoc à domino stabilita, vt stabiliendæ augendæq́ fidei seruiant.* Et supra §.5. *Sacramenta verò & promissiones habent clarissimas, & præ verbo hoc peculiare habent, quod promissiones Dei veluti in tabula depictas nobis ad viuum repræsentant*, ibiq́ue vocat *nuda sigilla quæ sine scripto Dei verbo nihil prosunt: Quibus breuiter responsum sit, sigilla quæ diplomatibus, alijsq́ publicis actis appenduntur per se accepta nihil sunt.*

§. 17. *Cauendum præterea ne in errorem huius affinem nos abducant, quæ ad amplificandā Sacramentorum dignitatem paulò magnificentiùs à Veteribus scripta sunt, vt scil. arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamq́ esse, quæ ipsa per se Spiritus S. gratias nobis conferant, quemadmodum vinum è cratere propinatur, quum hoc tantum illis diuinitùs iniūctum sit munus, testificari nobis, ac sancire Dei in nos beneuolētiam.* Et paulò post: *Sacramenta enim id sunt nobis à Deo, quod ab hominibus rerum lætarum nuncij, vel arrha in pactis sanciendis, vtpotè quæ non à se quidem largiantur aliquid gratiæ; sed renuncient, & ostendant.*

Theod. Beza lib. de summa rei sacramentariæ quæst. 2. præceptoris sui Caluini mentem breuiter ita explicat: *Vnde efficacia illa Sacramentorum à Spiritus S. operatione in solidum, non autem à signis, nisi quatenus externis illis obiectis interiores sensus mouentur.*

Redeo ad Caluinum: libro, & cap. supra citatis, §.26. *Fortè*, inquit, *miseros istos Sophistas deceperunt immodica illa Sacramentorum encomia, quæ de signis nostris apud* VETERES *leguntur. Quale est illud Augustini, quod veteris legis Sacramenta Saluatorem tantum promittebant, nostra verò dant salutem. Has & similes dicendi figuras, quum non animaduerterent hyperbolicas esse, & ipsi hyperbolica sua dogmata promulgarunt.* Et infra: *Huius quoq; rei breuiter admonitos esse lectores expedit, quicquid de opere operato nugati sunt Sophistæ, non solum falsum esse, sed pugnare cum Sacramentorum natura.*

LOCVS XX.

De Necessitate Baptismi,

DOGMA CATHOLICVM.

Summam esse Baptismi, vt medij ad salutem, diuinitus ordinati, necessitatem; ob quam eius administratio, in casu, & absentia ordinarij Ministri, laicis quoque permissa est, & licita.

SAN-

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

TERTVLLIANVS de baptiſmo cap. 17. *Supereſt ad cõcludendam materiolã, de obſeruatione quoque dandi, & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet ius ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus: dehinc presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorẽ: quo ſaluo, ſalua pax eſt. Alioquin etiã laicis ius eſt.* Et infra: *Sufficiat ſcil. in neceſsitatib⁹, vt vtaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtãtia ſuccurrentis excipitur, cum vrget circumſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit.*

Origines hom. 14. in Lucam: *Et quia per baptiſmi ſacramentum natiuitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur paruuli: Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poterit intrare in regnum cælorum.*

S. Ambroſius libr. 2. de Abrahamo cap. 11. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei, vtique nullũ excipit, non infantem, non aliquem præuentum neceſsitate. Habeant illam opertam pœnarum immunitatem, neſcio an habeant regni honorẽ.*

S. Gelaſius Pap. ad Epiſcopos per Lucaniã, & Brutios cõſtitutos, ca. 9. *Diaconi abſq; Epiſcopo, vel presbytero baptizare nõ audeant, niſi ijs longiùs conſtitutis neceſsitas cõpellat. Quod & laicis Chriſtianis facere plerũq; cõceditur.*

S. Hieronymus aduerſ. Lucifer. cap. 4. *Sine*

baptizare, cum Ecclesia procul abest, & aliquis Catechumenus vicinus est morti. Et Carthaginense IV. cui S. Augustinus ipse interfuit, cã. 10. *Mulier baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente*. Ita enim nunc Canonem citant, & legunt scriptures sat vetusti, P. Lombardus lib. 4. sent. dist. 6. Et Gratianus Can. *Mulier*. de Consecrat. dist. 4.

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS in domestica postilla VVitembergæ impressa anno 1549. serm. 2. in die Trinit. super Euangel. Ioh. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non introibit in regnũ cælorum: diligenter notabimus maximè aduersus cæcos baptistas, qui puerorum baptismum, vt inutilem, & minus fructuosum existimant. Sed qua ratione potest huiusmodi baptismus minus esse fructuosus, cùm hic audias, quod Christus aquam in hunc finem ordinauerit, vt operante spiritu ad regenerationem operetur? Quod si iã pueris vt regeneretur, necessarium est, & aliàs regnum Dei videre nequeunt, quare illis baptismum denegaremur?* Et tom. 4. in Gen. fol. 243. *An non hoc ingens donum, & gloria, quod etiam mulier in necessitate potest baptizare, & dicere: Libero te à morte, Diabolo, à peccato, & omnibus malis; dono te vita æterna, facio te ex filio Diaboli filium Dei.* Quę omnia nihil habẽt à superiorum sententijs alienum. At verò in colloquijs conuiualibus tit de baptismo. *pueros*, dicit, *etiamsi quandoque sine baptismo*

animi impotentia profectum esse palam est, quia Deo,& marito obstrepit,quod filij sanguinem fundere cogitur. Adde quod si in alijs omnibus probè se gessisset, hæc tamen est inexcusabilis temeritas, quia præsente marito circumcidit filium,&c. Et concludit ibid. *Vnde sequitur non ideò baptizari fidelium liberos,vt filij Dei tunc primum fiant,qui ante alieni fuerint ab Ecclesia,sed solenni potiùs signo ideò recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio iam ante ad Christi corpus pertinebant.* Vult itaq; Caluinus fidelium infantes iam ab vtero matris in sanctos,& Christianos nasci,non verò per baptismum fieri.

ANTIQVA HAERESIS.

Pelagianorum hæresis fuit, non esse in filijs fidelium peccatum originale, neque vlla indigere ideò ablutione, & lauacro regenerationis: sed ab vtero sanctos nasci, vt refert S.Augustinus lib.6.contra Iulianum cap. 2, & 3. & libro 4. ad Bonifacium cap.2.& 4.

LOCVS XXI.

De venerabili Eucharistia sacramento.

DOGMA CATHOLICVM.

Veram & viuificam carnem, hoc est corpus,& sanguinem Christi, fidelium animarum esse nutrimentum, & cibum spiritualem, & cœlestem, in quem

terre-

terrestris panis,& vinum,Christi benedictione, & Spiritus S. operatione transelementantur; remanentibus tamen omnibus prioris substantiæ accidentibus.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Iræneus lib.4.cap.34. *Quomodo constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant. &c.*

S. Ignatius in epistola ad Smyrnenses, vt citat S. Theodoretus dial. 3. *Eucharistias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitauit.*

S. Dionysius lib. de Hierarch. Ecclesiast. part.3.cap.3. *O diuinissimum, & sacrosanctum Sacramentum, obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicuè nobis appareas, nostrosque spirituales oculos singulari, & aperto tuæ lucis fulgore imple.*

S. Iustinus in Apologia ad Antoninum sic loquitur de Eucharistia: *Non eum vt communem panem, neq; vt communem potum hac sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus* IESVS *Christus saluator noster, & carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiã*

ab ipso factum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostra per mutationem aluntur, illius incarnati IESV *& carnem, & sanguinem esse edocti sumus.*

Tertullianus lib. 4. in Marcionem: *Acceptum panem corpus suum facit, dicendo hoc est corpus meum.* Et in lib. de resurrect. carnis. *Caro,* inquit, *abluitur, vt anima emaculetur, caro inungitur, vt anima consecretur, caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.*

Origenes homil. 13. in Exodum, exponens cap. 25. *Volo,* inquit, *vos admonere religionis vestra exemplis, nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & omni veneratione seruatis; ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* Idem homil. 5. in diuersa loca Euangelij loquens de puero Centurionis: *Quando,* inquit, *sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vita pane, & poculo frueris, manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Et tu ergò humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meũ. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur.*

S. Cyprianus in sermone de Cœna Domini in princip. *Cœna disposita inter Sacramentales epulas obuiauerant sibi instituta antiqua & no-*

& noua; & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis. Et infra: *Panis iste quẽ Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus; omnipotentia Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas apparebat, & latebat diuinitas; ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.*

Ibid. *Noua est huius sacramenti doctrina, & scholæ Euangelicæ hoc primum magisteriũ protulerunt, & doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ authoritas districtissimè interdicit; lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit vt bibatur.*

S. Hilarius in 8. lib. de Trinit. *De veritate carnis, & sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Et mox: *An hoc veritas non est? contingat planè his verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant.* Et idem explicans illud Ioh. 6. Qui manducat meam carnem, & ipse viuet propter me. &c. *Hæc verò vitæ nostræ causa est, quòd in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua viuat ille per patrem.* Et infra: *Dicis filium Dei carnaliter in nobis manere per Eucharistiam.*

S. Cyrillus Hierosol. catechef. 4. Mystag: *Cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de Pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat*

deat dubitare, ac eodem quoque confirmante, & dicente: Hic est sanguis meus, quis inquam dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Et ibidem: *Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum in Cana Galilea, sola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutauit. Quare omni cum certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.* Et ibid. *Sic Christophori erimus, id est, Christum ferentes, cum eius corpus, & sanguinem in membra nostra receperimus, atq; vt B. Petrus dicit, diuinae naturae consortes efficiemur. Ne ergò consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum, corpus enim est, & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba: Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices.* Et infra: *Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse.*

S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.*

Idem lib. de mysterijs initiandis cap. 4. *Fortè dicis aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis*

adhuc

adhuc superest vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis; vt probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eã; & facta est serpens. Multisque alijs expositis miraculis Heliæ, & Helisæi, cõcludit: *Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerterit, quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur. Nam Sacramentum istud quod accipitis, Christi sermone conficitur: Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret; non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti; quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere; quod non erat; non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas.*

S. Basilius lib. de Baptismo cap. 9. *Si tales minæ aduersus eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est. Quanto enim maius aliquid is est templo; secundum Domini vocem, tantò grauius, & terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temerè contingere, quam sit accedere ad arietes, vel tauros, &c.*

S. Gregorius Nyssenus in lib. de vita Moysis, vbi

sis, vbi disputat de Manna Iudæorum, quod cum S. Eucharistia confert: *Panis est absq, semine, absque oratione, absque vllo humano opere nobis paratus. Is desuper defluens inuenitur in terris. Panis enim qui de cælo descendit, qui verus cibus est, qui ænigmaticè hac historia significatur, non incorporea quadam res est; quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? res autem quæ incorporea non est, corpus omninò est.*

Et in orat. catechetica cap. 36. & 37. multa habet de huius sacramenti veritate: *Quemadmodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic & corpus illud quod à Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens, totum in se transfert atque commutat.* Et infra: *Fidelium corporibus coniungitur, vt ea coniunctione cum immortali homo etiam immortalitatis particeps fiat.* Ibid. *Considerandū est*, inquit, *quomodo fieri queat, vt cum vnum illud corpus assiduè per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusque per partem euadat, & in seipso totum permaneat.* Item. *Quamobrem rectè etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem in Dei* VERBI *corpus credimus immutari.* Et infra: *Hæc autē tribuit virtute benedictionis in illud (corpus Domini) rerum quæ videntur* (id est panis & vini) *naturam mutans.*

S. Optatus, S. Ambrosij coætaneus lib. 2. contra Parmenianum: *Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis, frangere, radere, remouere?*

in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus, vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Et mox: *Quid est altare? nisi sedes corporis, & sanguinis Christi?* Et infra: *Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus, & sanguis habitabat?* Item: *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores.*

S. Gregorius Nazianz. in 2. orat. de Paschate: *Absq; confusione, & dubio comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris, neq; sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris, cõstans esto, firmus, & stabilis, in nulla re propter aduersariorum sermones fluctuans.*

Et in oratione de obitu Gorgoniæ sororis suæ: *Ad altare cum fide procumbit, eumque qui super illud colitur, magno cum clamore obtestans, &c.*

S. Ephrem, in libro de natura Dei minimè scrutanda cap. 5. *Quid scrutaris inscrutabilia? Si ista curiosè rimaris, non iam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis, atq; innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temerè ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris.* Et infra: *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis*

bis vnigenitus filius Christus saluator noster. Ignem, & spiritum manducandum, ac bibendũ præstitit nobis, corpus scilicet, & sanguinem suum.

S. Epiphanius qui etiam Sancto Athanasio familiaris fuit, in Ancorato circa med. *Videmus quod accepit Saluator in manus suas, veluti Euangelista habet, quod surrexit à cœna, & accepit hæc, & cum gratias egisset, dixit: hoc meum est, hoc & hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile non imagini in carne, non inuisibili Deitati, non lineamentis membrorum, hoc enim est rotunda forma, & insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere. Hoc meum est, hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermonis: qui enim non credit esse ipsum verum, excidit à gratia, & salute.*

S. Gaudentius tract. 2. de Exodo. *Ipse naturarum creator, & Dominus qui producit de terra panem, de terra rursus, quia & potest, & promisit, efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum.* Et infra: *Quod annunciatum est, credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Credamus cui credidimus, nescit mendacium veritas.*

S. Chrrys. hom. 60. ad populum Antioch.

Et homilia de Eucharistia in Encæniis: *Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit, ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia.*

S. Hieronymus in comment. Matth. cap. 26. *Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Pascha transgreditur Sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem, & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis, & sanguinis repræsentaret.*

Idem in epist. ad Hedibiam quæst. 2. *Nos,* inquit, *audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini saluatoris.* Et infra: *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.*

S. Augustinus epist. 86. ad Casulanum: *Dicit,* inquit, *cessisse pani pecus, tanquam nesciens, & tunc in Domini mensa panis propositionis poni solere, & nunc se de immaculati agni corpore partem sumere, dicit cessisse poculo sanguinē, non cogitans etiam nūc se accipere in poculo sanguinem.* Et infra: *Quantò ergo melius, & congruentiùs vetera transisse, & noua in Christo facta esse sic diceret, vt cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, agnus*

nus agno, ſanguis ſanguini.

Idem libro de Trinitate capite 4. *Nec linguam quippe, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos lingua editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti, & ſanguinem dicimus, ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ Paſsionis.*

Et libro 17. de Ciuitate Dei capite 20. *In alio libro qui dicitur Eccleſiaſticus, vbi ait; non eſt bonum homini, niſi quod manducabit, & bibet; quid credibilius dicere intelligitur? quam quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam ſacerdos ipſe Mediator noui Teſtamenti exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore, & ſanguine?*

Item libro 12. contra Fauſtum capite 10. dicit fideles eum ſanguinem ore percipere quo redempti ſunt, & capite 20. dicit nunc bibi, quod ex latere Chriſti manauit.

Et libro ſecundo contra Aduerſarium legis, & prophetar. cap. 9. *Mediatorem,* inquit, *Dei, & hominum, hominem Chriſtum* IESVM *carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus, quãuis horribilius videatur humanam*

manam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.

Idem lib. 2. contr. Petil. cap. 37. *aliud eſt Paſcha, quod adhuc illi de oue celebrant: aliud autem quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus.*

Et in pſal. 33. conc. 1. explicans titulum pſalmi, in quo ſcriptum erat: *Et ferebatur in manibus ſuis: Hoc,* inquit, *quomodo poſſet fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum literam non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quādo commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum, ferebat ènim illud corpus in manibus ſuis.*

Denique in ſermone ad Neophytos, vt teſtatur Iuo Carnotenſis Epiſcopus, in epiſtola ad Haymericum, & Paſchaſius in epiſtola ad Frudegardum. *Hoc accipite in calice, quod manauit de Chriſti latere.* Et ſermone 2. de Tempore: *Inuitati ſumus ad menſam, vbi non inuenitur cibus hominum, ſed panis ponitur Angelorum.*

S. Cyrillus Alexandr. libro 4. in Ioh. cap. 3. explicās illud: Quomodo poteſt hic nobis

carnem suam dare ad manducandum. *Firmã*, inquit, *fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud* QVOMODO *aut cogitemus, aut proferamus.* Et in epist. ad Calosyrium. *Ne horreremus carnem, & sanguinem, apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ quasi quoddam semen inueniatur in nobis.*

S. Theodoretus in primo dialogo: *Seruator noster nomina commutauit, & corpori quidem id, quod erat symboli, ac signi, nomen imposuit, Symbolo autem, quod erat corporis.* Et subiungit: *Volebat enim eos, qui sunt mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere.*

Sanctus Leo sermone 14. de passione Domini. *Ipsum per omnia, & spiritu, & carne gustamus.*

Et sermone 6. de ieiunio septimi mensis: *sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus, contra id quod accipitur, disputatur.*

S. Eusebius Emissenus serm. de corpore domini: *Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam*

quam inuocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis, & vini, post verba autem Christi corpus, & sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?

S. Remigius in comm. in 1. Cor. cap. 10. *Panis quem frangimus in altari, nonne participatio corporis Domini est? vtiq, primùm consecratur, & benedicitur à Sacerdotibus, & à Spiritu S. & deinde frangitur, cum iam, licet panis videatur, in veritate corpus Christi est.* Et infra: *Caro quam verbum Dei patris assumpsit in vtero Virginali, in vnitate suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, vnum corpus sunt, sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus.*

S. Gregorius teste Paulo Diacono in eius vita, ita coram populo, patrato miraculo, locutus est: *Disce veritati, vel modò etiam contestanti credere; Panis quem ego dabo, caro mea est, & sanguis meus verè est potus. Sed præscius conditor nostræ infirmitatis, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper virginis, operante Spiritu S. fabricauit, panem & vinum aqua mistum, manente propria specie, in carnem, & sanguinem suum, ad Catholicam precem, ob reparationem nostram spiritus sui sanctificatione conuertit.*

Et idē hom. 22. in Euangelia: *Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super vtrumque postem*

ponitur quando non solùm ore corporis, sed etiã ore cordis hauritur.

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

CONCIL. Trident. sess. cap. 1. *Principio docet S. Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur in almo S. Eucharistiæ Sacramento, post Panis, & vini, cõsecrationem, Dominum nostrũ* IESVM *Christum verum Deum atq; hominẽ, verè, realiter, ac substãtialiter sub specie illarũ rerum sensibilium contineri.*

Cap. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tãquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuẽtes vita illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse viuet propter me...*

Cap. 3. *Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem, sub panis, & vini specie vnà cum ipsius anima, & diuinitate existere.*

Cap. 4. *Idq; nunc denuò S. Synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis eius: quæ conuersio conuenienter & propriè à S. Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS serm. de Eucharistia: *In sacramento altaris,* inquit, *non est panis & vinũ, sed*

sed species panis,& vini,nempe panis in verum, & naturale corpus Christi,& vinum in verum, & naturalem sanguinem Christi transmutatur. Item: *quemadmodum panis ille in verum, & naturale ipsius corpus, & vinum in naturalem ipsius sanguinem verè transmutatur; sic quoque nos verè in spirituale corpus hoc est in communionem Christi, & omnium Sanctorum attrahimur, & transmutamur. Quidam arte sua & subtilitate freti, quærunt vbi panis maneat, cum in carnem Christi transmutatur, & vinum, vbi in sanguinem vertitur.* Hoc dicit credi oportere,etiamsi non videas.Et de adoratione Sacramenti, ibidem fol. 370. *Qui non credit esse illic corpus Christi,& sanguinem, rectè facit quod nec spiritualiter nec carnaliter adorat,qui verò credit,quemadmodum credi oportere, satis demonstratum est, hic profectò corpori,& sanguini Christi suam reuerentiam sine peccato derogare nequit. Nam omninò fateri cogor Christum illic esse præsentem, cum ipsius corpus,& sanguis adsunt.* Et de vtraque specie sacramenti ibid.fol.361.*Concedo vt sacramentũ Eucharistiæ in monstrãtijs seruetur.*

At verò in lib.cont.Regem Angliæ: *Impius est,*inquit,*& blasphem',si quis dicat panẽ transubstantiari.*Et aduersus Theologos Louan.art.22.*Transsubstantiatio panis & vini in Sacramento à Magistrollis Louaniensibus sine omni fundamento, sine vllo verbo ex mera inscitia traditur.* Interim veritatem corporis Christi asserit ibidem. *In Eucharistia saramento venerabili & adorabili exhibetur, & sumi-*

& sumitur verè & reipsa corpus, & sanguis Christi, tam à dignis, quam ab indignis. Sed vt in visitatione Saxonica admonet: *docendi sūt Christi fideles, vt credant in pane verum corpus Christi, & in vino verum sanguinem Christi:* quæ sententia apud omnes eius posteros remansit.

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib. 4. cap. 17. §. 19. *Nos verò talem Christi præsentiam in cœna statuere oportet, quæ nec panis elemento ipsum affigat, nec in panem includat, nec vllo modo circumscribat,* &c. *Ne quid eius corpori affingatur humanæ naturæ minus consentaneum, quod fit, dum vel infinitum esse dicitur, vel in pluribus simul locis ponitur,* Ibid. *Certè quod docemus nihil in se habet, quod offendat, nisi quot seculis aliquot, quum in Ecclesia regnaret illa Sophistarum inscitia, & barbaries indignè oppressa fuit tam perspicua lux, & exposita veritas.*

§. 21. *Restat igitur, vt propter affinitatem quam habent cum suis symbolis res signatæ, nomē ipsum rei fateamur attributum fuisse symbolo, figuratè id quidem.* Et mox: *Dico metonymicum esse hunc sermonem.* Ibid. *Nam cum in multis Sacramenta simul conueniunt, tum in hac metonymia quædam est ipsis omnibus inter se communitas.*

Ibid. § 14. *Fateor quidē nōnullos* VETERVM *conuersionis voce interdum fuisse vsos,* &c. *Nā*

quod

quod dicunt in consecratione fieri arcanam cōuersionem, vt iam aliud sit panis, quam vinum, nuper admonui eō non significare in nihilum ipsa redigi, sed iam alio loco habenda esse.

At §.29. Perstringit Lutheranos: *Docent isti* (corpus Christi) *vbiq; locorum esse, sed absq; forma. Excipiunt iniquum esse naturam gloriosi corporis subÿcere communis naturæ legibus. Atqui Serueti illud delirium (quod pÿs omnibus meritò detestabile est) absorptum fuisse corpus à diuinitate, secum trahit hac responsio.* Caueāt ergō Lutherani ne hoc præceptore Caluino Serueticam etiam luant sui delirij pœnam.

§.30. *Iam vt illis demus, quod garriunt de inuisibili præsentia, nondum tamen probata erit immensitas, sine qua frustra Christum sub pane includere tentabunt. Nisi vbiq; simul esse possit Christi corpus, nulla loci circumferentia, sub pane in cœna latere credibile non erit.* Ibidem. *Et certè quidam cum magno dedecore prodere suā inscitiam malunt, quàm vel minimum de errore cedere. Non loquor de Papistis: quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina: sed quosdam ita abripit contentio, vt dicāt propter vnitas in Christo naturas, vbicunq; est diuinitas Christi, illic quoque esse carnem, quæ ab illa separari nequit. Quasi verò vnio illa conflauerit ex duabus naturis medium nescio quid, quod neq; Deus esset, neque homo. Sic quidem Eutyches, & post eum Seruetus.*

Hoc igitur fixum maneat (supra §.15.) *nō verè, nec aptè permitti nobis in cœna carnē Christi verè esse in cibum, nisi vera externi symboli sub-*

Christus, placamentum pro peccatis nostris, de quo Propheta Daniel, & Deus ipse apud Malachiam loquitur; & cuius Iudæorũ agnus, & omnia sacrificia typi, & figuræ fuerunt, offertur.

SENTENTIAE SANCTORVM PATRVM.

S. Iacobus Apostolus in Liturgia: *Offerimus*, inquit, *tibi incruentum sacrificiũ pro peccatis nostris, & ignorãtijs populi.*

S. Andreas in libro passionis eius, à discipulis conscripto, sic ait: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidiè sacrifico.* Et infra: *Qui cum sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perseuerat, & viuens.*

S. Clemens in epist. 3. ad Iacobum fratrem domini, vt recitatur de *Cõsec.* dist. 1. Can. *Hic ergo. In alijs locis sacrificare, & missas celebrare non licet, nisi in ijs in quibus episcopus propriè iusserit*, &c. *Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & vobis tradiderunt.*

S. Hippolytus Martyr in orat. de Antichristo inducit Christum ita loquentem: *Venite Pontifices, & Sacerdotes, qui preciosum corpus, & sanguinem meum quotidiè immolastis.*

Tertullianus in lib. de velandis Virginibus. *Non permittitur mulieribus in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre.*

S. Ignatius in epist. ad Smyrnẽses: *Nõ licet sine Episcopo neq; offerre, neq; sacrificiũ immolare, neq; missas celebrare.*

S. Ire-

ad bibendum familiaribus dedit. Ac quod ille fecit, idem suis vt facerent, ministris iussit.

S. Chrysostomus homil. 24. in 1. Cor. *Pro victimarum, & pecorum cæde se ipsum offerendum præcepit.* Et homil. 17. in epist. ad Hebr. *In multis locis offertur, non plures Christi, sed vnus vbique Christus; hic & illic plenus existens, vnum corpus, non multa corpora.*

IDEM in Psalm. 95. *Magnus erat, & sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia noua superueniens gratia vno complectitur sacrificio, vnam & veram statuens hostiam.* Idem in 2. homil. in 2. Tim. 1. *Sacra ipsa oblatio siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat; eadem est; quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem est.*

ET libr. 6. de sacerdotio: *Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorq; est apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat.* Idem in liturgia: *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantijs.*

S. Ambrosius in 1. cap. Lucæ: *Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur, etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Et libr. 1. de Officijs cap. 48. *Offert Christus se*

ipsum quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Et in Psalm. 38. *Etsi nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offert in terris, cum corpus eius offertur.* Et libr. 5. Epist. 33. *Ego,* inquit, *mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, vt subueniret.*

S. Gaudentius tract. 2. in Exod. *In vmbra illius legalis Pascha non vnus agnus occidebatur, sed plures. Singuli enim occidebantur per domos; nam vnus sufficere non poterat vniuersis.* Et infra: *Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis, & vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus, hæc agni caro, hic sanguis est.*

S. Hieronymus in comm. cap. 1. ad Titum: *Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?*

S. August. quæst. 57. in Leuiticum: *Illis,* inquit, *sacrificijs vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum.*

ET lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid gratius offerri aut suscipi posset, quam caro sacrificij nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?*

IDEM lib. cont. Aduersarios legis cap. 20. exponens locum Malachiæ in omni loco offertur, &c. *Ecclesia,* inquit, *per successores Apostolorum immolat in corpore Christi sacrificium laudis.*

ET lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 36. *Hoc sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco, à solis ortu, vsque ad*

occasum Deo iam videant offerri, sacrificium Iudaeorum de quibus dictum est; Non est mihi voluntas in vobis, iam cessare, negare non possunt, aut alium Christum exspectant.

S. Eusebius Caesariensis libr. 1. demonstrat. Euang. cap. vlt. ad locum Mal. cap. 1. *Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, & odorem adferens, & sacrosanctũ sacrificiũ, sacrificamus nouo more, secundũ nouum Testamentum, hostiam mundã.*

S. Gregorius libr. 4. dialog. cap. 58. *Haec singulariter victima ab aeterno interitu animam saluat, quae illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter, atque incorruptibiliter viuens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae immolationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis iam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra ad Sacerdotis vocem coelos aperiri in illo IESV Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, & inuisibilibus fieri.*

SENTENTIA PONTIFICIORVM.

CONCIL. Trid. sess. 22. c. 1. *Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis morte intercedẽte Deo Patri oblaturus erat, vt*

æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ, Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, eiusq; memoria in finem vsque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum, applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent tradidit, & ijsdem, eorumq; in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Sed vtiliùs textus Concilij integrè vbique legitur. Hæc dicta sufficiunt explicandæ vnius omnium Pontificiorum mentis, & sententiæ: De qua exstat ibid. Can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, anathema sit.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

LVTHERVS breuiter ad ea omnia respondet lib. de capt. Babylonica cap 1. *Si nihil habetur, quod dicatur, tutius est omnia negasse, quam Missam sacrificium esse concedere.* Et in

lib.

lib. de abroganda Missa, initio ita scribit: *Profiteor inprimis aduersus eos, qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et paulò post ibid. dicit *se non curare, quid Patres de Missa dixerint.*

SIMILIA habet in lib. contra Regem Angliæ: *Vltimò dicta Patrum inducit Rex pro Missario sacrificio, & ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere, præ omnibus. Hoc est, quod dixi: Thomisticos Asinos habere, nihil quod producant, nisi multitudinem hominum, & vsum antiquum.* Et ibidem paulò infra: *dicit se nihil curare si mille Augustini, & mille Cypriani contra se stent.*

DENIQVE in libro de Missa priuata: *Hic non moramur si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia: Patres, Patres; quia vt dixi hominum dicta, aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoq; Apostolos: verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoq; ipsos Angelos.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS lib. 4. Instit. cap. 18. §. 1. *Congredi me hîc lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, ac eius Propheta totum orbem imbuerunt, nempe Missam esse opus quo sacerdos, qui Christum offert, & alij, qui in oblatione participant, Deum promerentur, vel expiatoriam esse victimam, qua sibi Deum reconcilient. §. 3. Hoc quidem certissi-*

mum est, euerti Christi crucem, simulac erigitur altare.

ET §. 11. *Sed quia* VETERES *quoque illos video aliò hanc detorsisse, quam institutioni Domini conueniebat (quod nescio quam repetitæ aut saltem renouatæ immolationis faciem eorum cœna præ se ferebat) excusari non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati sunt enim propius Iudaicum sacrificandi morem, quam aut ordinauerat Christus, aut Euangelij ratio ferebat.*

DENIQVE §. 18. *Quod superest, nisi vt cæci videant, surdi audiant, pueri intelligant hanc Missæ abominationem, quæ in calice aureo propinata omnes reges terræ, & populos à summo vsque ad nouissimum sic inebriauit, sic percussit sopore, atque vertigine, vt brutis ipsis stupidiores, proram, & puppim suæ salutis in hac vna exitiali voragine statuerint.*

ANTIQVA HAERESIS.

INTER errores, & furores Donatistarum narrat S. Augustinus libr. 2. cont. Petilianum, quod soliti fuerint altaria vbique demoliri, & confringere, sacros calices vendere, &c. Vnde patet Donatistas, qui se etiam olim Ecclesiæ Reformatores iactitabant, & solos esse orthodoxos, & Catholicos, clamabant, sacrificium Missæ quoque sustulisse.

LOCVS XXIII.

De Confeßione, & Poteſtate Clauium.

DOGMA CATHOLICVM.

Chriſtum Eccleſiæ ſuæ claues regni cœlorum credidiſſe, vt quicquid eius miniſtri, Noui Teſtamenti Sacerdotes, in terris ligent, vel ſoluant, in cœlis debeat eſſe ligatum, vel ſolutum; dicendo: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Ideoq. ipſos abſoluendi peccatores contritos, & confeſſos poteſtatem, quam Chriſti loco exercent, diuinitus accepiſſe.

SENTENTIAE SS. PATRVM.

S. CYPRIANVS ſermone 5. de lapſis: *Denique quantò & fide maiore, & timore meliore ſunt, qui quamuis nullo ſacrificio, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes Exomologeſim conſcientia faciunt, animi pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Et infra: *Confiteantur ſinguli, quæſo*

fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.

ORIGENES homil 17. in Luc. explicans illud: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. *Vnde & nos*, inquit, *si peccauerimus debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi: dixi: Annunciabo iniustitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata nostra non solum Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce deleo vt nubem, iniquitates tuas, & sicut caliginem, peccata.*

LACTANTIVS lib. 4. diuinarum instit. cap. 17. explicans rationem cur Deus in veteri Testamento Circumcisionem imperauit: *Ob hanc causam*, inquit, *Deus nudari eam carnem iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendũ facinus intra conscientiæ secreta velaremus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ, ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima, & arcana pectoris intuetur.*

ET

ET lib.4. cap.30. contra Nouatianos ponit Confessionem, quæ fit in Catholica Ecclesia, pro vera eius nota: *Sed quia singuli quique cætus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.*

S. Athanasius in serm. in illa verba: Profecti in pagum qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum. ad finem sermonis ita loquitur: *Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in meliùs proficiamus. Quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Iesu: Adsunt enim qui te soluant pro potestate ea, quam à Saluatore acceperunt. Quæcunque enim ligaueritis, inquit, in terra erunt ligata & in cœlis, & si quibus remiseritis peccata, remittuntur eis.*

S. Hilarius can. 18. in Matth. *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint; id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque aut soluti sint, aut ligati.*

S. Basilius in quæstionibus siue regulis breuioribus. reg. 229. *Omninò in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis*

nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed ijs tantummodò, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea poßint curare. Et regula 228. *Necessario*, inquit, *ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

S. Ambrosius libr. de Pœnit. cap. 6. *Si vis iustificari, fatere delictum tuum: soluit enim criminum nexu verecunda confeßio peccatorum.* Et cap. 10. *An quisquam ferat, vt erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum non pudeat peccata tua homini quem lateas, confiteri.*

S. Paulinus in vita S. Ambrosij. *Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset; ita flebat, vt & illum flere compelleret, videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.*

S. Gregorius Nyss. in epistola ad Episcopum Mytilenes cap. 1. *Rectè habuerit, si hodierno die non solum eos, qui ex regeneratione per lauacri gratiam transmutati sunt, adducamus, sed eos etiam qui per pœnitentiam, & Confeßionem à mortuis operibus ad viuentem viam ascendunt, ad viuentem spem tanquam manu adducamus, à qua per peccatum alienati sunt.* Item: *Quemadmodum in corporali medela vnum est quidem institutum medicinæ, sanare eum qui laborat, varium autem est curationis*

rationis genus, (pro morborum enim varietate conuenienter quoque medicina, & disciplina vnicuique morbo applicatur.) ita cum multa sit in morbo quoque animæ affectionum varietas, multiformis quoque necessariò fuerit medica curatio, ad affectionis rationem medicinam exercens. Et in oratione in mulierem peccatricem: *Audacter ostende sacerdoti quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera medico detege, ipse & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.*

S. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam: *Vos primum appello fratres qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis, vos inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecūdos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri.* Et infra: *Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: Manus cito nulli imponas ne communices peccatis alienis. Quid facies tu? qui decipis sacerdotem, qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis.* Item *Rogo vos fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam, prudētes ægri medicos nō verētur, ne in occultis quidem partibus, etiā secaturos, etiā perusturos.*

S. CHRYSOSTOMVS homil. 33. in Iohan. *In peccatis quæ commisimus confitendis, neminem vereamur, Deum duntaxat, vt decet, formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos in præsentia non pœnitet damnabit.* Et infra: *Vos autem hortor dilectissimi, vt etsi nemo opera nostra videat, vt singuli*

suam

suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi ea manifestè patere: sanentur iam vulnera: sumatur Pœnitentia medicina.

ET in 2. libr. de Sacerdotio. *Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltrò sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere.*

S. Hieronymus in comm. ad 10. cap. Ecclesiastæ: *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio, peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister qui habet linguam ad curandum facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.*

ET in comm. ad cap. 16. Matth. *Legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur, vt ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant, non quò sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habeant notitiam leprosi, & possint discernere, qui mundus, quiue immundus sit. Quomodò ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum facit, sic & hic alligat, vel soluit Episcopus, & presbyter, non eos, qui insontes sunt vel noxij, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quiuè soluendus.*

S. Innocentius I. in epist. 1. ad Decentium Episc. Eugubinum cap. 7. *Cæterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est iudicare,*

vt attendat ad confeßionem pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.

S. Augustinus libr. 50. homiliarum, homil. 12. *Deus noster quia pius est, & misericos vult, vt ea confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro.*

IBID. homil. 41. *Non solum post pœnitentiam ab istis vitijs se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo, & sacerdoti peccata suá confiteri poterit.*

ET tractatu super Psalm. 66. *Tristis esto antequam confitearis, confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat, adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confeßione, & defluat omnis sanies, iam exulta, iam lætare, quod reliquum est, facilè sanabitur.*

IDEM S. August. vel quisquis author est libri de vera & falsa pœnit. cap. 10. *Quem pœnitet, omninò pœniteat, & dolorem lachrymis ostendat, representet vitam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confeßionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata non per nuncium,*

non

intellexit institutam etiam esse à Deo integram peccatorum confeßionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere: quia Dominus noster IESVS *Christus è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clauium remißionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neq; æquitatem quidem illos, in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

DE Confeßione Lutheri sententia est, illam quidem esse vtilem, sed non diuinitus præceptam, ideoque neque necessariam, vt docet in lib. de capt. Babylonica cap. de pœnit. Item in visitatione sua Saxonica. Et in sermone de Pœnit. asserit non esse confitenda omnia peccata, neque venalia, neque mortalia, sed manifestè mortalia. In articulis Smalcaldicis art. de Confeß. vult confeßionem debere esse liberam, vt pœnitens pro suo bene placito, & libitu ea confiteatur, quę velit. Et in libr. de ratione confitendi cap. 6. dubitat, an vllum cordis peccatum sit confitendum. Tandem prorsus abolet in lib. cont. Latomum: *Nego*, inquit, *in totum confeßionem esse exigendam*. Ideoq; in assert. articul. art. 9.

Carnificinam cruentißimam appellat, *si quis à pœnitentibus omnium; & singulorum peccatorum confeßionem exigat.*

PHILIPPVS Mel. in locis comm. tit. de Confess. *Differunt iudicium, & ministerium Euangelij. In iudicio necesse est fieri cognitionem, at ministerium Euangelij est mandatum impertiendi beneficij, scilicet annunciandæ remißionis peccatorum, siue nota sint, siue ignota.* Et infra: *Ministerium est testimonium diuinæ absolutionis.* Videtur ergo mihi hoc velle, vt aliquis in Curiam eat, & Scabinis, ac senatoribus sua confiteatur delicta, ac postea progrediatur in Ecclesiam, & à Sacerdotibus, vel prædicantibus consolationem * deposuit. *Nam peccatorum cognitio*, inquit, *pertinet ad iudicium*, (neque enim Lutherani, ipsique Caluinistæ præter ciuile, & sæculare vllum aliud agnoscunt) *annunciatio remißionis peccatorum, ad Ministerium.*

* *Mira in hoc ordine rerum confusio.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

CALVINVS libr. 3. cap. 4. §. 7. *Miror autem, qua fronte ausint defendere confeßionem, de qua loquuntur, iuris esse diuini, cuius equidem vetustißimum esse vsum fatemur, sed quem facilè euincere possumus olim fuisse liberum.* Ibid. *Quicquid blaterent omnes conductitij Papæ rabulæ, tenemus neque Christum huius legis authorem esse quæ ad enumeranda peccata homines cogit, imò fluxisse annos mille, & ducentos à resurrectione Christi, antequam ta-*

lis

lis vlla lex ferretur. Itaque tyrannidem hanc fuisse demum inuectam, quum exstincta pietate, & doctrina, sine delectu, quiduis licentiæ sibi iam sumpsissent laruæ pastorum.

§. 13. *At verò quum de clauibus agitur, semper cauendum est, ne facultatem aliquam somniemus ab Euangelij prædicatione separatam.* Ibid. *Hoc tamen in ministerio clauium maximè verum est, cuius tota vis in eo posita est; vt Euangelij gratia per eos quos Dominus ordinauit, fidelium animis publicè ac priuatim obsignetur; quod fieri nisi sola prædicatione nequit.*

§. 19. *Nihil itaq; mirum si auricularem istam confessionem, rem adeò pestilentem, totóq; nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam è medio cupimus.*

§. 23. *Quod autem hinc inde testimonia corradunt; quibus probent non sufficere vel soli Deo, vel laicis confiteri peccata, nisi sacerdos sit cognitor, putida, ac pudenda est eorum diligentia. Nam si quando peccatoribus suadent* VETVSTI *Patres, vt se exonerent apud suum Pastorem, de recitatione accipi non potest.* Qua de re igitur? Eam vt nescit, ita non explicat. *Deinde vt sinistri fuerunt Lombardus, & similes, videntur data opera libris adulterinis fuisse addicti, quorum prætextu deciperent simplices.* Vtere tu Caluine veris, & genuinis Patrum exemplaribus, & proba contrarium. Et ibidem paulò post, vbi dixit, Veteres solũ pronunciasse, & declarasse peccata remissa esse, &c. *Quanquam in verbo declarandi crassum errorem insinuant, cæremoniam subrogantes*

tes in locũ doctrinæ. Ita concludit sua omnia SS. vbiq; Patres crafsè, & enormiter erraſſe.

VETVSTA HAERESIS A SS. Patribus olim damnata.

NOVATIANORVM fuit hæreſis, & error hic ferè præcipuus, non eſſe penes Eccleſiam, vel Chriſti ſacerdotes poteſtatem peccatores abſoluendi, iterumque cum Deo reconciliandi: teſte Theod. lib. de hæret. fab. & S. Corn. Papa apud Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 33.

LOCVS XXIV.

De Satisfactione.

DOGMA CATHOLICVM.

Poſſe hominem iuſtificatum verè Deo ſatisfacere, pro reatu pœnæ temporalis, ideoque rectè ſatisfactoria opera (vt ieiunium, abſtinentiam, eleemoſynam, vel etiam corporis diſciplinam, & caſtigationem, &c.) in pœnam, ſeu mulctam lapſis, & pœnitentibus iniungi; & hos piè & vtiliter eadem ſuſcipere, atque implere.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

S. Iuſtinus quæſt. 79. quærit, cur Ioſiam Regem Deus permiſerit gladio cædi, cum

cum vir sanctissimus fuisset, & respondet his verbis: *Caterum luctuosum vita finem propterea Iosias retulit, quod iussioni Hieremia non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, vt ne progrederetur ad obuiandum Regi AEgypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter vt eum purum à peccatis ex hac vita reciperet Domin' Deus, ideò permisit illum inobedientia eius ferro AEgyptio pœnas exoluere.*

S. Irenæus lib. 4. cap. 26. in fine: *Docebat,* inquit, *vt facerent pracepta, qua ab initio pracepit Deus, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum. Quod autem ea, qua possidentur, pauperibus diuisa, solutionem faciunt praterita cupiditatis Zachaus facit manifestum: Ecce dicens, dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

Tertullianus lib. de Pœnitent. *Offendisti,* inquit, *sed reconciliari adhuc potes, habes cui satisfacias.* Et infra: *Satisfactio confessione disponitur,* Et paulò ante dixerat: *Quam porrò ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniã delictorum sustinere? hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere; hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentia compensatione redimendam proponit impunitatem.*

Origenes homil. 6. in Exod. *Si quis forte huiusmodi pecuniam à diabolo deceptus, accepit, non vsquequaque desperet, misericors enim & miserator dominus, & creatura sua non vult mortem, sed vt conuertatur, & viuat;*

pœnitendo, flendo, satisfaciendo, &c. *deleat, quod admissum est.*

Et homil.3, in lib. Iud. *Vide,* inquit, *benignum Dominum misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta, & clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominus tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei, in confessione Pœnitentiæ.*

S.Cyprianus sermone de opere, & eleemosynis: *Nec haberet,* inquit, *quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas diuina subueniens iustitiæ, & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret; vt sordes postmodum, quascunque cõtrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus S. & dicit. Eleemosynis, & fide delicta purgantur, non vtique illa delicta quæ fuerant antè contracta, nam illa Christi sanguine, & satisfactione purgantur.* Vbi apertum ponit discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam.

Et in serm. de lapsis: *Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus.* Et infra ad finem, postquam dixerat: *Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigilijs, ac noctes fletibus ducere, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari,* &c. ita subiungit: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipso lapsu sui dolore*

lore conceperit, exauditus, & auditus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.

Lactantius libr. 6. de vero cultu, cap. 24. *Potest reduci, & liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus satisfaciat Deo.*

S. Hilarius in psal. 118. exponens versiculũ vltimum literæ PE. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. *Hæc pœnitentiæ vox lachrymis orare, lachrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere; Lauabo per singulas noctes lectum meum. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lachrymarum imbre madefieri.*

Idem can. 4. in Matth. non procul à fine: *Quia charitas plurimum peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est, nouissimum pœnæ quadrantem soluemus, nisi precio ipsius aliquantorum criminum culpa redimamur.*

S. Basilius in oratione super illa verba: Attende tibi &c. *Attende*, inquit, *tibi vt pro delicti proportione, huic quoq; mutueris, & admota tibi medela, valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & graue peccatũ? multa opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiaulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur Pœnitentia.*

S. Ambrosius in epist. 82. ad Ecclesiam

sedet immundum, & siliquarum esca deformis.

S. Innocentius epist. 1. cap. 7. *Caterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis.*

S. Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis: *Oratione propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur.*

Et in epist. 92. ad Rusticum cap. 2. de Sacerdotibus pœnitentibus loquens: *Vnde*, inquit, *huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiā Dei priuata est petenda secessio, vt illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

S. Hieronymus in cap. 1. Ioelis, explicans illa verba: Accingite vos, & plangite, *Qui*, inquit, *peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, & cubet, vel dormiat in sacco, vt præteritas delitias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.*

S. Augustinus in Enchiridio cap. 70. *In melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus: non ad hoc emendus, vt ea semper liceat impunè committere, nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.* Et cap. 71. *De quoti-*

dianis autem breuibus, leuibusq́, peccatis; sine quibus hæc vita non ducitur quotidiana oratio fidelium satisfacit.

Et hom,50,cap,11. *Veniat peccator ad Antistites, per quos in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum.* Et infra cap. 15. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo,*&c.

S.Maximus homil.in die cinerum: *Non reprehenditur ille, qui dudum corde deuio, & lubricis gressibus à tramite elapsus salutis, redintegrare se Deo mœsta Pœnitentiæ satisfactione conatur.*

S.Gregorius lib.6.in 1.Reg. explicans cap. 15. *Non solùm,* inquit, *confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda.* Ibid. *Corrigibilia equidem peccata portantur, quia postquam à delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt.*

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

CONCIL. Trident. Sess.14. cap.8. *Sancta Synodus declarat falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris literis exēpla reperiuntur, quibus præter diuinam traditionem hic error quā manifestissimè reuincitur.*

Ibid. *Debent ergò Sacerdotes Domini, quãtum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgẽtiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiã ad præteritorum peccatorum vindictã, & castigationem: nam claues sacerdotum non ad soluendũ duntaxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.*

Et cap. 9. *Docet præterea tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Christum* IESVM *satisfacere valeamus.*

SENTENTIA LVTHERANORVM.

Lutherus in concione de Indulgentijs, habita anno 1518. Negat vllam pœnam à Deo exigi post culpam. Et in assert. articulor. art. 5. *Vehementer odi, & sublatum vellẽ hoc vocabulum, Satisfactio, quod non modò in Scriptura non inuenitur, sed & periculosum habet sen-*

ſum, quaſi Deo quiſquam poßit pro vllo peccato ſatisfacere, cũ gratis ille ignoſcat omnia. Quare inquit, *verum dixi, arbitrariam iſtam ſatisfactionẽ, nec in ſcipturis, nec in Patribus inueniri.*

Philippus Mel. in Apolg. confeſſionis Auguſtanæ art. de confeſſ. & ſatisfactione: *Sed tamen fatetur,* inquit, *Aduerſarij quod ſatisfactiones non proſint ad remißionem culpæ, verùm fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad redimendas pœnas, ſeu Purgatorij, ſeu alias.* Et infra: *Hæc tota eſt commentitia, recens conficta ſine authoritate ſcripturæ, & veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum.*

Et idem in locis comm. tit. de ſatisfactione, prope finem; de carnis mortificationibus ita pronunciat: *Tales vltro accerſiti cruciatus pertinent ad Regulam: Fruſtra me colunt mandatis hominum; item pugnat cum his præceptis: Non occides:* (Bey leibe thut euch nicht weh) *Item habeto honorem corpori.* Halt eweren leib wol/thut jhm etwas zu gutt Drinckt eine gute maß weins darfur auß. Das geiſſelen thut weh. Quis ſuauius vnquam audiuit hoc ipſo *Euangelium*, quod *eſt ſecundum Lutherum?*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib. 3. inſtitit. cap. 4. §. 30. *Tertium* inquit, *locum ſatisfactioni in Pœnitentia aßignant, de qua quidquid blaterant, vno verbo ſubuerti poteſt. Dicunt non ſufficere Pœnitenti à præteritis malis abſtinere, & mores in melius commutare, niſi de ijs quæ facta ſint, ſatisfaciat Deo: Eſſe autem multa adminicula, quibus pec-*

cata redimamus, lacrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia. Et paulò post. *Talibus mendacijs oppono gratuitam peccatorũ remißionẽ, qua nihil in scripturis clariùs prædicatur. Quid quæso nobis præstitisset Christus si adhuc pro peccatis pœna exigeretur. Nam quum dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quam defunctũm pœnâ & vindictâ quæ pro peccatis nostris debebatur*. Et

Et lib.4.cap.12.§.8.*Excuſari nullo modo poteſt immodica* VETERVM *auſteritas, quæ prorſus à Dei præſcripto diſsidebat, & erat mirum in modum periculoſa*. Vbi ſimul declarat Cyprianum non *ſponte fuiſſe tam rigidum; S. Chryſoſtomum duriorem.*

LOCVS XXV.

De Eccleſiaſticorum Cœlibatu.

DOGMA CATHOLICVM.

Virginitatem, & cœlibatum coniugio longè præſtantiorem eſſe, & vtiliorem diuinis exercitijs, ideoque maximè ſacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ decere, rectéque hos ad eum ſacris canonibus, votiqué vinculo adſtringi.

SANCTORVM PATRVM SENTENTIAE.

S. Athanaſius lib.de virgin. extremo: *O Virginitas, opulentia indeficiens, corona immarceſsibilis, templum Dei, domicilium Spiritus S. Margarita ſpecioſa, vulgò inconſpicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona.*

S. Ambroſ. lib.1.de virginibus: *Nemo miretur*

retur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.

S. Cyrillus Hierosol. Catechesi 12. *Non ignoremus castitatis gloriam: Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio.*

B. Sulpitius in 2. dialogo: *Beata species, & Deo digna: Nihil enim Virginitati est comparandum.*

S. Cyprianus lib. de habitu Virginum: *Nec ornari iam aut placere alij, quam Domino suo studeant, a quo & mercedem Virginitatis expectant, dicente ipso: sunt enim spadones, qui se castrauerunt propter regnum Dei.*

S. Augustinus lib. de S. Virginitate cap. 31. *Cum ergò perpetuæ continentiæ professores se coniugatis comparantes secundum scripturas cōpererint eos infra esse, & opere, & mercede, & voto, & præmio, statim veniat in mentem, quod scriptum est: Quanto maior es, tanto magis humilia te in omnibus.* Et cap. 8. *Nulla fœcunditas sanctæ Virginitati etiam carnis comparari potest. Sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione ac deuotione seruatur, ac per hoc spiritualis est etiam Virginitas corporis, quā vouet, ac seruat continentia pietatis.*

Origenes hom. 23. in librum Numer. *Certum est,* inquit, *quia impeditur sacrificium indesinens ijs, qui coniugalibus necessitatibus seruiunt, vnde videtur mihi quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti, & perpetuæ se deuouerit castitati.*

S. Eusebius lib. 1. demonstrat. Euangel. cap.

S. Ambrosius lib. 1. de officijs cap. vlt. *Inoffensum exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali sacri ministerij gratiam recepistis, quod ideò non præterivi, quia in plerisque abditioribus locis cum ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt.*

Idem in epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem: *Habentem*, inquit, *filios dixit Apostolus; non facientem.*

Et in comm. 1. Epist. ad Timoth. cap. 1. *Deinceps*, inquit, *ab vsu fœmina cohibentur.*

Item in cap. 3. *Si plebeis hominibus orationis causa se ad tempus abstinere præcipit Paulus: quantò magis Leuitis, & Sacerdotibus, quos die, noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores enim cæteris esse debent, quia actores Dei sunt.*

S. Hieronymus libro cont. Vigilantium circa princip. *Quod facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt.*

Idem in fine Apologiæ pro libris, contra Iouinianum: *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium pudici.*

Et in com. cap. 1. ad Tit. *Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui*

S. Gregorius Nazianzenus in orat. 30. quæ incipit; Iesus qui piscatores elegit; *Non omnes, inquit, capiunt istud, sed quibus datum est: Cum audis, quibus datum est, adde datum quidem ijs, qui volunt, & qui assentiuntur.*

S. Chrysostomus homilia 63. in Matth. *Posse nos perpetuam seruare virginitatem, Christus ostendit dicens: Sunt Eunuchi qui ex ventre matris, &c. Non omnes capiunt, sed quibus datum est. Iis datum est, qui sponte eligunt quod ideò dixit, vt ostenderet superiori nobis auxilio esse opus; quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores euadere.*

Idem hom. 16. in epist. ad Hebr. *Noli dicere, non possum continere. Multi nõ possunt, quia multi nolunt. Si enim voluerint, omnes poterunt: propter hoc & Paulus dicit; volo omnes homines esse, sicut me ipsum, quoniam sciebat, quod omnes poterant esse sicut ipse: nequaquã hoc diceret, si impossibile esset.*

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

Concil. Trident. sess. 25. capitulo 14. *Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoq; concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoq; clericalis militiæ dedecore, testatur: Vt igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur, populusq; hinc eos magis discat revereri,*

tis turpissimum, & impijssimum, à Diabolo profectum, qui talibus libertatem Christianam laqueis adstringit. In enarr. Euang. in die Epiph. *Profectò si missa facere volumus friuola, & dicere quid res est, aut confitendū est, impossibilem castitatem, vti & alia, quæ vires nostras excedunt, nunquā voueri, aut certè nullus fuit vnquam in orbe Monachus.* Ibid. *O horrendam peruersitatem, sed ideò à satana inuectam, vt miseras animas fortius impudicitiæ vinculis sibi obstringeret, teneretq; qua parte sunt imbecilliores. Videbat omnia cætera obseruatu quā hoc faciliora. Hoc castitatis votum, quod omnium longissimè vires nostras excedit, curauit solum haberi irremissibile, ac seuerissimè exigi, &c.*

SENTENTIA CALVINISTARVM.

Caluinus lib. 4. instit. cap. 12. §. 23. *Vna in re plusquam rigidi sunt & inexorabiles, ne coniugiū Sacerdotibus permittant:* Et mox: *Hæc prohibitio clarè ostendit, quā pestifera sint omnes traditiones, quæ non solùm orbauit Ecclesiam probis, & idoneis pastoribus, sed horrendam inuexit scelerū colluuiem, * multasq; animas in gurgitē desperationis proiecit:* Hoc etiā exitus in Caluino, & alijs sui similibus, qui continētię voto rupto, Deo illuserūt, cōprobauit.

* Experto crede Ruperto, vel etiā Caluino, puta Sedomianis &c.

Cap. 13. §. 3. *Qui vouet, quod vel non est suæ facultatis, vel cum vocatione sua pugnat, temerarius est.* Et post aliquot lineas: *In quo genere primatum vesanæ audaciæ tenet Cœlibatus. Sacrifici enim, Monachi, & Moniales suæ infirmitatis obliti, cœlibatū*

se pares esse confidunt. Quo autem oraculo e-docti sunt, constaturam sibi tota vita castitatē, in cuius finem eam voueant? Audiant de vniuersali hominum conditione Dei vocem; Non est bonum homini esse soli. Intelligunt, atque vtinā non sentirent peccatum in nobis manens non carere acerrimis aculeis. Illam generalem vocationem, qua fiducia excutere audent in totam vitam? quum donum continentiæ sæpius in certum tempus prout opportunitas requirit, concedatur. In tali pertinacia ne Deum auxiliatorem exspectent, sed meminerint potius eius, quod dictum est; Dominum Deum tuum non tentabis. Hoc verò Deum tentare est, contra inditam ab eo naturam niti, at præsentia eius dona spernere, ac si nihil ad eos pertinerent. O carnale Euangelium?

§.7. *Iam nec obscurum est, quanta superstitione in hac parte laborauerit mundus aliquot sæculis. Alius se abstemium fore vouebat, quasi vini abstinentia cultus esset per se Deo gratus. Alius ieiunio, alius carnis abstinentia se adstringebat, &c. Fuit & hoc pro magna sapientia habitum Votiuas peregrinationes ad sanctiora loca suscipere, at interdum vel pedibus iter conficere, vel corpore seminudo, quo plus meriti ex lassitudine acquireretur. Hæc & similia quotum incredibili studio mundus aliquamdiu æstuauit, si secundum eas quas antea posuimus regulas examinentur, non tantū inania deprehēdentur, ac nugatoria, sed plena manifestæ impietatis.*

§.14. *Res ipsa loquitur eos omnes, qui in cœnobia*

nobia concedunt, discessionem ab Ecclesia facere. Ibid. *Quot sunt hodie monasteria, tot esse dico schismaticorum conuenticula.*

§.15.*Proinde meminerint lectores fuisse me de Monachismo potius, quam de Monachis loquutum, & ea vitia notasse, non quæ in paucorũ vita hærent, sed quæ ab ipso viuendi instituto separari nequeunt.*

§.17.*Præterea cum ad multos simul peruersos, atque impios cultus, quos hodiernus Monachatus sub se continet, se ipsos astringant, eos nen Deo consecrari, sed Dæmonio contendo.* Ibid. *Virginitatem Deo perpetuam promittunt, quasi cum Deo ante pepigerint, vt se à Coniugij necessitate liberaret. Non est quod causentur, se non nisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare. Nam quum ipse non omnibus dari pronuntiet, fiduciam specialis doni concipere nostrum est.* Et paulò post: *Hoc inquiunt ab vltima memoria fuit obseruatũ, vt se alligarent Continẽtiæ voto, qui totos se Domino dicare vellent. Fateor certè antiquitùs quoq; fuisse receptum hunc morem, sed eam ætátem sic ab omni vitio liberam fuisse non concedo, vt pro regula habendum sit, quidquid tunc factum est.*

Cap.12.§.vlt.*Ergò quoties Cœlibatui suo defendendo prætextum antiquitatis quærent nouæ tyrannidis defensores, totius excipiendum erit, vt veterem illam Castimoniam in suis sacerdotibus restituant.* Et mox: *Neq; tamen hæc dico, quod vlla omninò conditione dandum esse locum ijs Canonibus censeam, qui vinculum*

doxæ veritatis doctorum, Oracula, & Iudicium prouocarunt omnes. Tute nunc iudica, quorum causa litigantium melior, & quorũ dogmata cum Apostolica antiquæ & primæue Ecclesiæ doctrina concordent, quorum ab eadem dissonent, & è diametro cum illis pugnent. Præiudicium nemini affero, iudicium sincero, & pio lectori totum relinquo.

IVDICIVM LECTORIS.

Omnibus oppedis tu priscis Patribus vnus,
Quos, Luthere, vocas, Sãctos, fideiq́ Magistros,
Insanis? tua te damnatur iudice causa.
Nec Patribus tantùm cunctis his ipse vetustis,
Obgannis, Caluine, quibus doctrina vigebat
Olim pura, tuis si fas est credere verbis,
Sed quoq; Luthero, quẽ tu vel ab æthere lapsũ,
Suspicis, & nostra laudas ætate Prophetam,
Obstrepis; ecce tuo quia contradicis Apostolo,
Perfidiæ, te teste, palàm conuinceris Author,
Hæresiarcha nouus, toti contrarius orbi.
Caluinista vale, passim Lutherica proles
Interit ante tuos oculos, & deficit omnis:
Tu vacua sedi frustra succedere speras.
Peior abi Caluine, vale procul impie nequam,
Gallus es, hacq́; lues sordet tua Gallica nostris,
Germanis, morbus nulla curabilis arte,
Qui viuos homines stygium deducit ad orcum.
O Germane caue, vix vt capiare cauebis,
Effuge Caluini cane peius, & angue, venenum,
Dulce sapit lingua, sed cor mala pestis adurit,
Nec necat infectos, dictu mirabile, pestis

Illa, sed aßiduo cruciatu torquet, & igni.
Quæ fidei sit summa tuæ, Caluine, liquescit;
Et quia cum Patribus tibi nil cõmune supernis,
Fratribus infernis sis lætus adesse sodalis.

TESTIMONIVM LVTHERI DE ZVINGLIO, ET CALVInianis,

LVTH. contra articulos Louan. Thess, 27, *Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos, & Sacramentarios, qui negant Christi corpus, & sanguinem ore carnali sumi in Venerabili Sacramento.*

TILMANNI HESHVSII LVTHERANI DE EISDEM.

IN defensione cont. Caluinum: *Deo, & Ecclesiæ testatum facio, me non collusisse cum blasphema, & sacrilega Caluinistarum secta, sed in acie stetisse contra eam, & testamento filij Dei strenuam nauasse operam.*

THEOLOGORVM MANSFELDENSIVM, LVTH.

In Confess. Mansfeld. latina pag. 120. *Suspectam meritò habemus Sacramentariorum doctrinam, primò propter nouitatem. Exstitit enim recens nostro tempore, & ignota fuit vetustæ Ecclesiæ. Secundò quia Sacramentarij non definitè in eadem sententia sunt concordes, sed in se ipsos diuisi sunt, vt alij sint Carlstadiani, Zuingliani, Oecolampadiani, Zuuenckfeldiani, Campanistæ, Caluiniani, & similes.*

TESTI-

TESTIMONIVM ZVINGLII DE LVTHERO, ET LVTHERANIS.

RESPONS. ad Lutheri librum de Sacramento. *Hic Dei verbum, non vesana illa conuitia, quibus nos Svvermeros, Dæmones, Fanaticos, nequam, hæreticos, latrones, seditiosos, simulatores, hypocritas,* trotz/ botz / plotz/ donder/ po/ pu/ pa/ plumb. &c. *& quid non esse clamitas, victoriam obtinebit.* Ibid. *Verbum Dei corrumpis, & adulteras, cum scil. articulum à a carnis vocabulo aufers, Marcionitas nimirum, & Arianos imitatus.*

HENRICI BVLLINGERI ZVINGLIANI DE IISDEM.

IN repetitione contra Brentium Lutheranũ: *Prouocamus ab irato, & furioso Luthero.*

THEOLOGORVM TIGVRINORVM, ZVINGL.

IN Confess. Germ. impressa Tiguri anno 1544. in 8. fol. 3. *Superioribus diebus edidit Martinus Lutherus librum, quem inscripsit* Breuis confessio de Sacramento, *in quo non obscurè pro hæreticis Sacramentarijs, & sceleratissimis hominibus habet, & condemnat Oecolampadium, Zuinglium, & omnes Tigurinos; liber plenus est dæmonijs, plenus impudicis dicterijs, scatet iracũdia, & furore.* Et fol. 134. *Lutherus Dei, & diuini nominis oblitus, nos damnatam sectam vocat: sed videat ne huiusmodi iracundis, & impijs dicterijs seipsum hæresiarcham declaret.*

rum scripta nullam habeant authoritatem. Et in admonitione de libr. concordię Bergensis cap. 6. *Neque verò æquum est anteponi, & opponi Lutherum solum omnibus scriptoribus antiquis, & recentioribus, & ex ipsius scriptis de omnibus ferre sententiam, nedum hæreseos dānare omnes, qui cum illo non consentiunt. Veteres enim tot sæculis antè, quot vixerant, orthodoxos agnouit Ecclesia vniuersa, nec recentium veteribus, sed potius veterum consensus recentibus authoritatē conciliat, ideoq; veteres etiā aduersarijs opponi possunt, nō autem Lutherus, vel alij.* Ibid. *Cum itaq; Lutherus non fuerit Propheta, non fuerit Helias, non fuerit Euangelista, cum in multis errauerit, cum in controuersia Cœnæ pro norma habuerit non verbum Dei, vt ipsi gloriantur, sed inueteratam opinionem Papatus, & figmenta scholasticorum, cum multa in libris eius Eristicis nimis inconsideratè effusa sophismata, calumniæ, conuicia, hyperbolicè præter pietatem multa, & modestiam, confidenter & arroganter dicta, scurriles in rebus serijs lusus, mimorum sannæ, & infacetæ facetiæ, cum multa acerbè, & iniuriosè scripta non tantum in Christi Ecclesias, in viros doctissimos, sanctissimos, innocētissimos, sed etiam in magnos Principes contumeliosa, & omninò Theologi Christiani persona indignissima reperiantur, non debent, non debent inquam, Lutheri libri, Lutheri sententia esse norma Confessionis Augustanæ, aut doctrinæ de Cœna Domini.*

ERRATA QVAE IRREPSERVNT *ferè hæc ſunt.*

FOl. 8. lin.31. ruinas pro *rimas*. fol. 17. lin. vlt. latius, pro *lateres*. 39. l. 29. captiuitatem pro *actiuitatem*. 42.l. 7. perterbatione pro *perturbatione*. 50.l. 17. ſub pro *ſuo*. 83.l. 24. diſcretis pro *diſertis*. & l.29. pſciuerit pro *præſciuerit*. 97.l.26. abſtinent pro *abſtinet*. 98. l. 11. loquitur pro *legitur*. 110.l. 24. Scriptuæ pro *Scriptura*. 111. l. 10. & pro *ſed*. 112.l. 4. poſt ſalutem deeſt *pertinent*. 113.l. 5. natura pro *naturâ*. 126.l. 5. honore pro *honorô*. 147.l.2. venialibus pro *venialium*. 201.l.29. ſanctitatem pro *ſanctificatione*. & lin.31. audiendi pro *agni*. Cætera ſi qua ſunt plura, ſtudioſus & eruditus lector per ſe facilè animaduertet, & corriget.





COLONIAE AGRIPPINAE,
Excudebat Stephanus Hemmerden, Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. X.

